

gb. 80

Gd. 74

10

EXERCITATIO
DE
IUDICIIS REIPV-
BLICÆ GERMA-
NICÆ,

Quam
D. O. M. A.
PRÆSIDE

*Viro Clarissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo*

HERMANNO CONRINGIO

Phil. & Med. Doctore, hujusque Profes-
sore publ. Præceptore suo plurimum ob-
servando.

Ex eiusdem præcipue discursibus desumptam
PUBLICE

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA
Ad diem X. Aprilis.

Defendet

CHRISTOPHORVS VLRICVS

à Burgstorfss.

• 8) 0 0 (8 0

HELMESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

ANNO CLC LCG XLVII.

V I R O
Reverendissimo Generoso & maxime
strenuo

DN. CONRADO à Burgstorff

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDEBVRGICI
Summo Camerario & Silentario, Arcium
atque fortalitorum omnium Marchionatus
Brandenburgici gubernatori, Chyliarchæ,
Supremo capitaneo & consiliario regiminis
Custrinensis, Praeposito Ecclesiæ Episcopalis
Brandenburgensis, Ordinis Ioannitar. equiti
& Commendatori in Lagow, hæreditario
Domino in Goldbeck/Manschenow/Großma-
chenow/Buckow & Oberßdorff
&c.

Agnato meo summa observantia perpetim
colendo

Exercitium hoc Academicum inscribo
& offero

Christophorus Vlricus à Burgstorff
Aut. & Resp.

DE
JUDICIIS REIPUBLICÆ
GERMANICÆ.

THESIS I.

Vm tanta sit humani cordis à tc-
neris perversitas, tantaque malitia , ut citra
contentionem cohabitare humanum genus
non possit, ut civis civi, vicinus vicino, sæ-
piissimè adverferetur , fratum quoque gratia
rara sit, imò & parentes liberos , liberique parentes sæpè
persequantur ac injuriā afficiant, fieri non potest, quin li-
tes & controversiæ permultæ in omni societate convictuq;
civili oboriantur, adeoque nulla possit existere civitas,
nullaque Respubl. quæ non perpetuis flagraret factionibus
ac motibus , in qua non grassarentur homicidia, spolia,
multa denique violentia & truculentia cederentur exem-
pla, nisi ejusmodi litigijs pacatè dirimendis, commodis
occurratur remedijs. Ejusmodi autem in omni paulò re-
ctius constituta Republica non tantum supremæ Majesta-
tis terror , Magistratusque civilis potestas est, sed & judi-
ciorum publicorum vigor. Talium scilicet institutio vi-
rorum, qui & publica litigia arcere, & privatis civium con-
troverbis dijudicandis vacare queant. Siquidem parum
videatur esse, vel ipsos recti tramites cordi mentique ho-
minum impressos, parum quoq; sit jus legitimum legumq;
civilium sanctiones in Civitate esse, nisi sint, qui jura re-
gant & jure dicundo præsint. L. 2. I. 13 ff. Orig. Iur.

A

II. In

II. In omnibus itaque omnium gentium Rebus publicis judicia fuisse constituta ex varijs antiquitatis monumentis liquet; In quorum omnium antiquissimis & optimis est illud in populo Iudaico à Mose ex consilio Iethronis sacerdotis ejus, institutum. *Exod. 18. v. 14. & seqq.* Quantâ porrò severitate judiciorum rectitudinem Cambyses Persarum Monarcha, imperaverit, vel illud testatur de judice male judicante, cuius pelle ceteris in terrorem, tribunal judiciarium obducere fecit. Quomodo quoque Iudicia in civitatibus Græciæ constituta fuerint, recenset præter alios summus ille Philosophia Princeps Aristoteles *lib. 2. Polit. cap. X.* Romani in Iudicijs constituendis quam seduli fuerint, vel ex uno discere est ICto Pomponio in *L. 2. ff. de Orig. Iur.* Eodem verò modo non ullam facile reperies aliquius gentis paulo accuratius consignatam historiam, ubi jurisdicendi ratio non simul celebretur.

III. Ceterum jam nostrum non est propositum, de universa judiciorum natura, judicumque & magistratus in jure dicundo officio agere; Quod unicè ad civilem doctrinam pertinet, sive agendum sit de beatæ reip. simpliciter, sive scorsim de aliarū ut oligarchiarum, democratiarū, aristocratiarum, (singulæ enim etiam judiciorum ratione differunt, ut præclarè docet Aristoteles *lib. 4. Polit. cap. 16.*) judicijs rectè atque ex usu publico constituendis. Sed nec animus modò est omnium gentium in hac remores describere, verum de judicijs duntaxat Germaniæ pauca subnotare. Atque id quidem eo modo aggrediendum ducimus, ut ex iis quæ de hoc negocio extant monumentis paucis adducamus, quæ apud Germanos ab antiquissimis seculis ad nostra usque tempora judicandi ratio viguerit, quasque mutationes tot seculis una cum ipsa saepius mutata republica judiciorum illa ratio perpetua sit, porrò quæ

PL

eius

ejus conditio hodie sit, subjecto ad ultimum modo, qui hodiè statui Imperij nostri quam maximè inordinandis supremis ejus judicijs possit videri commodus.

IV. Atque antiquissimam quidem Germanicarum rerum memoriam consulentibus duo cumprimis licet observare quæ ad nostrum quoque negocium spectant. Alterum est Germanicos populos utut unius fuerint originis & linguæ propè ejusdem, imo verò unam Germaniam propè omnes habitaverint, proxima mutuo vicinitate junci, tamen in unam Rempublicam non nisi admodum serò & quidem demum vix ante hos octingentos annos, felicibus Francorum armis, coaluisse. Alterum; etiam sic tamen singulis populis suās fuisse Respublicas, & quidem non multum (si formam regiminis spectes) inter se se diversas; πανεπιστημια scil. nullam, omnes verò propemodū populares, non quidem omnino, magna tamen ex parte. Quod ipsum vel ex unico Taciti de morib. Germanor. libello facillimū est discere.

V. Hinc verò consequens statim est primū ea quidem extate non fuisse toti Germaniæ unum aliquod commune judicium, utpote quæ unam tum Rempublicam non obtinuerit: Secundū singulis populis judicia sua haud defuisse, quum nulla societas absque judiciis vel brevissimo tempore possit consistere: Tertiū ut totius Reipublicæ ita nec judiciorum magnam tum fuisse in Germaniæ populis diversitatem, & quidem proculdubio observatā illam formam judicū quidem constituendorum qui statui ex populari & aristocratico commixto maximè est idoneus.

VI. Cæsar. lib. 6. de bello Gallico narrat aliam belli tempore aliam in pace fuisse judiciorum rationem. Cum bellum, inquit, civitas aut illatum defendit, aut infert, Magistratus, qui ei bello præsint, ut vita necisq; habeant potestatem, deliguntur,

tur, in pace nullus communis est magistratus, sed Principes regio-
num atque pagorum inter suos ius dicunt, controversiasq; minuant.
Sanè omnibus penè his populis in usu, aliam foris ac more
aliam domi pacis tempore judiciorum formam constitue-
re. Et verò exigit hoc ipsum diversus ille vivendi modus.
Vnde proculdubio usitatū idem apud veteres Germanos.
Porro in id quod Cæsar ait, *in pace nullum fuisse communem*
magistratum, consentiunt & alijs scriptores qui res Germani-
cas memoria prodiderunt, modò accipias verba illa de u-
no aliquo homine qui toti reipublicæ præfuerit, qualis
est Rex aliquis propriè sic dictus. Namque alibi totum
concilium gentis meritò dixeris communem fuisse magi-
stratum, alibi etiam Reges præfuerere, verum ut Tacitus lo-
quitur *non infinita aut libera potestate*, quod verè regium
est.

VII. Illud verò quod scribit Cæsar bellico illi ma-
gistratui vita & necis concessam potestatem, prorsus est adver-
sum Taciti narrationibus. *Duces*, ait ille, (hi verò sunt ma-
gistratus belli Cæsar) exempli potius quam imperio, si prompti,
si conspicuti, si ante aciem agant administratione præsunt. Ceterum
neque animadvertere, neq; vincire, neq; verberare quidem nisi sa-
cerdotibus permisum; non quasi in pœnam nec Ducis iussa, sed ve-
lut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Videntur
autem cum Tacito facere potius quam cum Cæsare etiam
quaerabalijs scriptoribus memorantur. Vnde liquet aut
Cæsarem minus comperta tum nostra habuisse, aut verò
paulo post ejus ætatem imminutam fuisse ducum potesta-
tem libertatis popularis incremento.

IIX. Dixeris verò ex Tacito, controversias milita-
res finitas demum post prælium in concilio populi. Cum
enim dixisset; *Licer apud Concilium accusare quoq; & discrimen*
capitis intendere; addit: Distinctio pœnarum ex delicto: Prodi-
res

res & transfugas arboribus suspendunt, ignavos, & imbellies &
corpo infames, ceno ac palude, iniecta insuper crate emergunt.
Sed & levioribus delictis pro modo paenarum, equorum pecorumq;
numero convicti multantur; pars mult.e Regi, vel civitatis, pars
ipſi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. Prodictio
sanè, transfugium, ignavia, delicta sunt bello maximè pro-
pria, & videntur hæc punita potissimum in Concilio.
Quamquam enim & alibi cum primis minoris ordinis ho-
minum delicta hujusmodi disceptata ac judicata fuisse mi-
nimè negaverim: tamen si quid primores deliquerunt, id
tum potissimum in Conciliis iudicio definitum fuisse, vel
est ex eo colligere, quod idem mos floruerit Francici Regnū
tempestate, ut ex ijs, quæ infra adducemus erit manifestū.

IX. Henricus Meibomius Irmenſula Saxonice cap. 4.
in hæc verba loquitur de sacerdotibus Irmenſulae Eresber-
gensibus: *Iudem quoties præliandum erat, statuam sui deastræ*
columnæ detractam in aciem ferre, & à pugnâ captivos, quique
ex suis segniter rem gessissent, vincitos verberatosq; panis afficere
solebant. Cuius rei meminit vetus cantilena, in quâ regis eu-
insulam Saxonici filius propter infelix prælium sacerdoti se ma-
etandum tradi miserabilibus conqueritur modis. Adjungit vero
quidem versiculos aliquot Meibomius, sed inde haud est
colligere iudicio sacerdotum illum qui in victimam erat
mactandus damnatum esse. Dubito etiam, num possit ve-
ris historiis ostendi ullo in populo Germanico eam ani-
madvertendi potestatem sacerdotali ordini olim fuisse ali-
quando concessam, non accidente populi consensu.
Neque enim id Tacitus dicit, et si affirmet in bello sacerdo-
tibus permisum fuisse non verberare tantum & vincire
sed etiam animadvertere. Cæsar sanè lib. 6. magnam nar-
rat Druidum fuisse apud Gallos autoritatem, verum & a-
pud eos sacrificiis interdicere poenam gravissimam inquit

fuisse, & Germanos neg. Druides habuisse qui rebus divinis praesint, neg. studuisse sacrificium, in modum scil. Gallorum. Ecquis ergo crediderit suppicio quem afficiendi vim apud Germaniaz tum sacerdotes fuisse? Fatendum tamen coercendi aliquam vim iis fuisse in bello, ut in ipso quoq; concilio quod clarè Tacitus refert.

X. Quocunque verò modo habuerint sese àtate illa bellum tempore judicia, quid in pace obtinuerit facilius est cognitu. Cæsar indicat *regionibus & pagis principes præfuisse*, eosq; inter suos dixisse ius, & minuisse controversies. Sunt autem regionum & pagorum principes fortè ijdem; ut pote quum pagus significet regionem. Sane Tacitus qui res Germanicas proprius compertas habet, agnoscit quidem & ipse *Principes* non alios tamen quām *qui iura per pagos vicosq; reddunt* ut proinde tum alij quidem fuerint pagorum alij vicorum principes & judices, præter hos autem nulli. Omnes verò illos ex nobiliū fuisse ordine liquet vel ex eo, quod his principibus datos *ex plebe* comites idem Tacitus testetur, item *insignem nobilitatem* principis dignationem etiam adolescentulis assignasse; alibi quoque ab eodem *Principes plebi* opponantur.

XI. Ex eodem porrò Tacito etiam hoc discimus, judices istos ad dignitatem illam pervenisse per electionem, & quidem concilij: in quo cum & nobilitas & plebs habuerit locum, adeoq; cum penes illud concilium summa tum fuerit reipublicæ autoritas manifestum sit, non factione quadam plebis aut populi singulorum pagorum, nec cæca sorte sed totius reip. autoritate Principes illos judices electos esse. Disertè Tacitus: *Eliguntur in ijsdem Concilijs & Principes qui iura per pagos vicosq; reddunt*. Etiam ita tamen nonnunquam factum esle, ut ad defunctorum liberos dignitas parentum redierit, non est quod dubitemus, præser-

tim

tum quum Tacito teste, magna patrum merita jam tum etiam adolescentulus principis dignationem assignaverint. Est autem talis judicium constitutio inter aristocratica instituta. Namque ipsa electio per meliores instituta aristocraticum quid sapit: multo magis si electio fiat non ex omnibus promiscue sed ex paucis itidem optimatibus.

XII. Quamvis verò penes hosce electos ex primaria nobilitate fuerint tum precipuae citra dubium partes judiciorum: etiam ex plebe tamen nonnullos ijs datos assessores itidem ex Tacito discimus. *Centeni* (ait) *singulis principibus ex plebe comites consilium simul & auctoritas ad sunt.* Quilibet itaque pagus centenos ex plebe habuit (nisi forte legendum sit tertii) qui in judicijs alisque pagi illius negotiis publicis principi fuere in consilium pariter & auctoritatem. Fuerint ne autem ab ipso Principe an verò à plebe in id tum selecti cum nemo ejus temporis notaverit, dictu forte *adivatarv* est. Tantum non abest a verisimilitudine partitam cā in re operam fuisse utriufq; quoniam Francorum quoq; ætate simile quid fuit observatum.

XIII. Illud nequaquam videtur in dubitationem vocandum, quod plebeii illi comites non tantum non servilis sed ne quidem libertini fuerint sanguinis qualibet in civitate libera Germaniae. Clarè enim Tacitus: *Libertini non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur.* Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum sunt. Et verò etiam posteris seculis nullibi non fuit observatum, ut in plebeorum illum assessorum ordinem non nisi primores plebis sint adsciti: quidni igitur ita solitum florente plebis libertate? Notandum verò etiam hoc institutum adscendi ex plebe judiciorum assessores, ad leges esse veræ oligarchias. veræ inquam, non ejus, quæ cum sit oligarchia

ex solis nobilibus constans, speciem mentitur & nomen
solet accipere aristocratiæ. Enimvero magna semper etiam
plebis antiquis temporibus auctoritas, utut prima fuerit
dignitas Edelingorum, cuiusmodi hodieque sunt quive-
teri sunt Ducum Comitumque prosapia geniti.

X I V. Porro hi judices an simpliciter omnes con-
troversias potuerint decidere annon, numye ab illis pro-
vocatum interdum fuerit neque Cæsar neq; Tacitus, neq;
alius ævi illius quisquam memoravit. Verisimile tamen
est, tantum quæ inter singulos pagorum incolas intercesser-
runt lites finiri ab illis potuisse, quæ autem ortæ fuerunt
aut inter ipsos principes diversorum pagorum, aut inter
principem & populum unius pagi, ad comitia totius po-
pului tum pertinuisse. Patet hoc ex parte ex ipso Cæsa-
re & Tacito. Ille enim scribit: *Principes regionum atque
vicorum inter suos jus dixisse*. Tacitus vero *Principes jura
per pagos vicosq; reddidisse*. Quibus verbis haud obscure
definitur, lites non alias ad principem delatas quam pri-
vatorum quorumlibet civium. Res ipsa vero idem etiam illis
tacentibus edocet. Neque enim principibus absolutum
fuit jus in suos, ut nulla intercedere potuerit inter princi-
pem & cives lis, quæ judicio fuerit componenda: neq; cui
principum in alterum fuit jus, nec tamen semper inter illos
controversia potuerunt caveri. Necessario itaque etiam
tum majus fuit judicium, ubi illæ majoris momenti lites
sunt decisæ. Et sanè verosimile est, factum illud in co-
mitijs populi. Hic enim convocatus potissimum habuit
totius reipubl. auctoritatem. Enimvero hoc ipsum etiam
num ætate Francici imperij obtinuisse mox demonstrabitur:
quanto magis igitur valuerit hac tempestate, qua
majori libertate populus omnis fruebatur? Audivimus
vero jam tum paulo ante dicentem Tacitum: *Licet apud
Concilio-*

Concilium accusare quoq; & discrimen capitū intendere. Quod de majoris momenti negotiis accipiendum esse diximus. Num per appellationem à judicio Principis assessorumq; potuerint causæ ad comitia itidem devolvi, aut num aliquis locus tum fuerit appellationi, quoniam haud perinde liquet, nec fas est inanibus conjecturis indulgere, in medio relinquimus.

XV. Hoc non difficultati ratione licet colligere, fieri vix potuisse, imo non potuisse, ut omnibus judicijs ipsemet Princeps interfuerit: cum quod integræ regionis aut integræ pagi unus tantum fuerit Princeps, hujusmodi autem terræ tractus sat amplis limitibus constiterit, tum quod in eâ hominum multitudine non potuerint non indies variae enasci controversiæ præsentibus judiciis minuenda. Verolum igitur fit, jam tum singulorum pagorum Principes vicarijs hic alibi usos: quomodo sequentibus seculis semper mos tulit præponere judicii *scoltem* quem appellant qui Principis vice curet judicia. Procul dubio verò etiam tum pedanei quidam fuere judices, quales nunc in agris supersunt passim per Germaniam.

XVI. An lucri quidquam Principes reliquique judices ex judicijs tum cæperint, præter multæ partem, nullibi memoratur. De multa videtur constare ex Tacito: *Sed & levioribus delictis, pro modo pænarum, equorum, pecorumq; numero convicti multantur: pars multa regi vel civitati (ubi nempe nullus Rex fuit, ut in plerisque tum Germanæ populis) pars ipsi qui vindicatur vel propinquis ejus exsolvitur.* Non præfractè tamen negaverim, Tacitum maximè loqui hinc de judicijs publicis comitorum, non autem singulorum pagorum: utpote quum dicat multam cessisse non Principi, sed Regi, aut toti civitati, h. e. toti reipublicæ, quod de omni multa haud temerè pronunciaveris. Cate-

tum etiam in singulis pagis fortassis partem multæ affi-
quam Rex aut respubliça accepit in nonnullis delictis;
quod sanè in Francorum regno solere infra patebit. Heri-
bannum vocare mōs vetus fuit. Cui vero het verosimile,
nihil multæ etiam Principi & reliquis judicibus in labo-
rum solatium datum esse?

XVII. Porrò simplici ratione processum in judicijs
tum esse, vetant nos dubitare simplices tum mores populij;
neque legum multitudine, neque malitia advocatorum,
neque lucri cupidine lites protelante. Argumento est
quod ipsæ etiam gravissimæ inimicitæ citò tum fuerint
compositæ, quanto magis ergo controversæ aliae. Testa-
tur id diserte Tacitus : *Nec implacabiles durant inimicitie:
lustrur enim etiam homicidium certo armentorum ac pe-
corum numero, recipitq; satisfactionem universa domus.* Qui
more suo prudenter addit : *utiliter in publicum, quia
periculosiores sunt inimicitie juxta libertatem.* Et sanè liber-
tati nihil æquè noxiū litium diuturnitate, maximè si in-
ter primores sint & factiosos. Inde enim intestina com-
motio & publici boni neglectus, in tumultus imò bella ci-
vilia tandem erumpens malum. Ea de causa proculdubio
factum, ut cum Romano more Quintilius Varus cepisset
in Cheruscis judicia instituere, statim illi conjurarint, ac
cæso Varo tribusq; legionibus obtritis præcipue in causa-
rum patronos sœvierint. Rem ita narrat L. Annæus Flo-
rus 1.4. cap.12. Nihil illa cæde per paludes, per q; silvas cruentius;
nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen in
causarum patronos: Aliis oculos, aliis manus amputabant, unius
os futum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tan-
dem, inquit, viperæ, sibilare desist.

XIX. Idem præterea mores populi haud obscuro
sunt indicio lites tum per suis raras. Tota enim gens

1103

non astuta non callida fuit; adhæc affectavit aperire secreta pectoris, consultationibus omnibus etiam majoris momenti plerumq; inter convivia institutis, tamquam nullo magis tempore ad simplices cogitationes pateat animus. Nam fide nulli tum mortalium ante Germanos, quod in publico theatro Romæ merito clamaverunt Frisiorum legati. Matrimonia olim severa: imò nulla morum pars magis laudata: paucissima in tam numerosa gente adulteria. Heredes successoresque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Aurum & argentum apud paucos aliquo in pretio: pecorum numero gavisi sunt: eaque solae & gratissimæ opes fuerunt. Proximis Romanorum commercia aliqua instituentibus, interiores populi simplicius & antiquius permutatione mercium sunt usi. Alij securi adversus homines, securi adversus fata, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis nec voto quidē opus fuerit. In uniuersum plus in Germania boni mores valuerent, quam alibi bona leges. Quæ omnia penè ipsissima sunt Cornelij Taciti verba. Iis autem moribus atque illis institutis in mores translatis, raras admodum lites & compositu faciles habere locum, nemo paulo prudentior ignorat.

XIX. Atque hæc quidem ratio fuit judiciorum Germaniæ veteris antea quam in Francorum imperium tota transivit. Etsi enim nonnullis gentibus Reges fuerint; tamen nomen id potius fuit, quam verè regia potestas. Hinc Tacitus cum Frisorum, minorum nempe & majorum (ut tum divisum fuisse populum ex libro de morib. German. constat) duos Reges memorasset lib. 13. Annal. statim addit: *in quantum Germani regnantur.* Disertè idem: *Nec Regibus libera & infinita potestas;* Item de concilio: *mox Rex vel Princeps prout etas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi ma-*

gis quam jubendi potestate. Item : Trans Lygios Gothones re-
gnantur, paulo iam addictius quam ceterae Germanorum gentes,
nondum tamen supra libertatem. Etiam in regnis itaq; non alia
fuit, quam alibi forma judiciorum , & in his quoque Prin-
cipes eorumque ex plebe assessores per pagos & vicos jus
dixerunt, nisi quod fortassis in constituendis illis Princi-
pibus vel unius Regis vel hujus una cum concilio major a-
liqua auctoritas fuerit. Forte etiam licuerit tum Regibus
in sententiis à Principibus latarum æquitatem adverte-
re. Quæ sanè omnia Francorum imperio obtinuerunt.

XX. Haud negaverim tamen in quibusdam popu-
lis ab illa antiqua ratione fortassis recessum esse ; ut solet
longo temporis tractu mutare res publica. Nec tamen id
certo licet affirmare , quum monumenta nulla suppetant
unde discas. Meibomius tamen *l. de Irmensula c. 4.* narrat
pagorum Saxonorum praesides aut Gravios ut & judices
pedaneos per agros à collegio sacerdotū Eresbergensi ulti-
mis reip. illius liberæ temporibus ante Caroli Magni ætate
fuisse constitutos. Verum nescio an hac in re famæ nullis
eius tempestatis scriptis subnixæ fidem tutò liceat commo-
dere. Et vero ex ijs, quæ V Vitikindus Corbeiensis & Fran-
cici annales memorant, liquet, Saxoniæ tres populos Ost-
falos, V Westphalos , & Angrivarios , tum temporis an-
tiquissimo Germanico more per concilium rempublicam
suam administrasse, belli tempore uno aliquo in ducem
electo, qui pace restituta pari iterum fuerit cum reliquis lo-
co. Certè in scriptis illius ævi de Saxonum republ. nihil le-
gas quod à majorum institutis vel leviter abeat.

XXI. Verum de his plus satis. Quomodo Franco-
rum magno illo in regno, quod præter Italianam, Galliam,
eximiam Hispaniæ partem , totam quoque Germaniam
comprehendit, judicia sese habuerint majus est precium
operæ

operæ enarrare : maximè quoniam Caroli demum Magni
auspicijs in unum corpus coalitâ Germaniâ , initia ejus va-
stæ reipubl. cuius laciniæ etiamnum superant, cæperunt.
Et verò tantum docebimus quæ facies fuerit judiciorum
ipsa illa Carolina ætate , Merovingorum regum tempora
non attingentes. Vt autem brevibus rem omnem com-
prehendamus, videntur illa tempestate judicijs præfuisse,
partim Concilium ordinum omnium, partim Rex ipse,
partim à Regibus constituti varii Duces & Graviones seu
(ut mos tulit Romanorum sequioris ævi titulos usurpare)
Comites cum Scabinis assessoribus, partim Episcopi,
partim denique Legati vel ut tum loquebantur Missi regij.
De negotijs porrò maximis ipsorum Regum ut & Princi-
pum aut primariæ nobilitatis soli concilio fas fuit judica-
re, non regi sine concilio : de sacris aut sacrarum vel re-
rum vel personarum causis minoribus judicium fuit penes
Episcopos, Legatos regios & Regem ipsum : de alijs Du-
ces, Comites, Legati regij, extra aulam, in aula Rex ipse &
Comes Palatinus judicaverunt. Porrò Regum ipsorum
& Ducum constituendorum potestas præcipuâ ex parte
Concilijs fuit: Episcopos, Comites, Legatos creare ad re-
giam pertinuit dignitatem, ut Scabinorum electio ad Mis-
sos & plebem. Quæ cuncta accurate scire omnino oportet,
cui de judicijs Germanicis illius ævi docere animus est.

XXII. Possunt autem hæc omnia cùm plurimis hi-
storijis tum alijs monumentis haud difficulter ostendi. Et
quidem regiæ familiae vel inter se, vel cum alijs causas in
Concilio tantum fuisse definitas luculenter patet ex ijs
quæ notavit Franciscus Hotomannus *Francogallia. c. 11.*
& 15. Historiæ Caroli Magni & Ludovici Pij exempla
multa suppeditant. Post hujus obitum controversiâ ortâ
inter filios non semel in concilio illa agitata est. De Carolo

Calvo cum legatis Lotharij fratr's agente ita Nithardus:
In conventum quod communis consensu statuerant venire se velle:
mandavit, ut si communem utilitatem, uti promiserat, statuere
vellet, sibi placere: sin aliter, de regno quod Deus pater $\ddot{\text{e}}$ suis
Iuorum consensu illi dederat, consilio suorum fidelium in omnibus,
secundum Dei voluntatem, parere se se in potuit. Ipsos Reges
concilij iudicio usque adeo fuisse etiam tum subiectos, ut
reipubl. perperam administratae causâ regia potuerint di-
gnitate exui, testimonio est exemplum Ludovici Pii & Ca-
roli Crassi quorum ille anno 838 hic anno 887 concilii au-
toritate regno pulsi sunt. Quale quid ex Merovingis
passi erant Childerici tres, unus Theodoricus, unus Chil-
pericus, ut aliostaceana.

XXIII. Porro primorum populi (quales tum fuere
Duces, Episcopi & Comitum præcipui) causam aliquam
magnam extra Concilium in judicium vocatam nullo ejus
ævi exemplo licet demonstrare. Ex adverso cū Brunechil-
dis regina multorum capitalium criminum rea esset, ne-
gocio ad concilium delato, Regem ita loquitur refert
Aimoinus l.4.c.1. Vos dulcissimi commilitones & præminentibus
Francia primores, decernite cui subiciat supplicio, tanti obnoxia
sceleris. Ado: In praesentia regis judicantibus Franciis, indomit is e-
quis religata discinditur. Tassilonis quoq; Bajoariae Ducis cau-
sa in conventu populi fuit dijudicata anno 788. Noxa con-
victus (ajunt Annales Francici) uno omnium assensu ut lesa ma-
iestatis reus capitali sententia damnatus est. Sed clementia regis
licet morti addictum liberare curavit. Regino l.2: Cum omnes
capitalem sententiam proclamarent, Rex misericordia motus e $\ddot{\text{o}}$
quod consanguineus eius esset, obtinuit ab ipsis Dei & suis fidelibus
(i. e. regni ordinibus) ne moreretur. Anno 818. conju-
rationis adversus Cæsarem Ludovicum Pium initæ aucto-
res primariæ nobilitatis cumque ijs Bernhardum regem,
judicio

*Judicio Francorum capitali sententia condemnatos : Episcopos ejusdem conjurationis complices synodali decreto depositos fuisse scribunt Annales Francici. Theganus in vita Ludovici Cæsar is de eodem hoc negocio : Bernhardum ha-
etennus Regem eiusque factores , cum in supra dicto sceler
deberent puniri , suppressa tristiori sententia luminibus orbari (Cæsar) consensit ; licet multis obnitentibus & animad-
verti in eos tota severitate legali cupientibus . Episcopos porro
hac immanitate constrictos ab Episcopis reliquis depositos monaste-
riis mancipavisi . Ad eundem modum anno 829. in rebel-
les pronunciata fuit sententia in Concilio ; ut anno 28. de
Concilij sententia Dux Foro Juliensis ignaviæ & injuriæ
convictus Ducatu pulsus . Non alibi damnati sunt Erne-
stus alijque Comites perduellionis rei anno 861. ætate
Ludovici secundi Germanici Regini : aut Erchingerus &
Bartholdus Comites fractæ pacis publicæ rei anno 916.
Conrado ultimo Franci sanguinis rege . De quo Echar-
dus : *Consilio dehinc habitu primo colloquium publicum Mogun-
tia, postea generale edixit concilium : ubi tribus illis lege abiura-
tis & proscriptis, prædiisq; eorum in ssimum redactis, maiestatis reis
capita damnata sunt.**

XXIV. Ex quibus testimonij utique manifestum
est, causas Principum saltem illas, quæ rempubl. attinent
& communè civitatis bonū, haud alibi quam in Concilio
decisas fuisse. Neque enim verum est quod scribit Thrit-
themius lib. de orig. Francor. anno 742 : *In singulis provin-
ciis aut Duces aut Comites rempubl. sub potestate Francorum ad-
ministrabant, Regum natu amobiles.* De alijs tamen omni-
bus minoris momenti Principum controversijs, haud te-
merè dixerim tantum illas in concilio publico decisas fui-
sse. Videntur enim illæ regis ejusque missorum judicio tum
commissæ. Pertinet huc Caroli Magni lex l. 3. c. 77. apud
Ansgeri-

Ansegitum: *Vt Episcopi, Abbates, Comites & potentiores quicq;
si causam inter se habuerint ac se pacificare noluerint ad nostram iu-
beantur venire presentiam: neg, illorum contentio alicubi dijudi-
cetur, ne propter hoc pauperum & minus potentium justitiae rema-
neant.* Neg, ullus Comes palatij nostri potentiorum causas sine no-
stra iustione finire presumat, sed tantum ad pauperum & minus
potentum iusticias faciendas sibi sciat esse vacandum. Scilicet
obtinebat tum illa universalis regula quæ conficit capitul-
lum 243. l. 5. *Major à minore non potest iudicari.* Itaque
Principum lites seu contentiones ad judicium regium per-
tinuerunt. Quibus tamen decidendis Reges concilii sæpè
autoritate usos liquet ex Hincmari Epist. ad reg. Ludovic.
de regni Francici statu. Aliqua ex parte vero Comites, E-
piscopos, Abbates, iudicio Missorum regiorum fuisse etiā
obstrictos docet c. 66, lib. 4. *Vbicung, missi aut Episcopum, aut
Abbatem, aut alium quemlibet quocong; honore præeditum irvene-
rint, qui iustitiam facere vel noluit, vel prohibuit, de ipsis rebus vi-
vant, quam diu in eo loco iusticias facere debent.* Item l. 4. c. 183.
*Si Comes in suo ministerio iustitas non fecerit, Missus nostris de
sua casa vel de suis xeniis serviat, usq; dum iustitia ibi facta fu-
erint.* Et si vassus noster iustitas non fecerit, tunc & Comes
& Missus noster ad ipsius casam redeant, & de suo curent quousq;
iustitas faciant.

X X V. Alia prorsus ratio fuit litium & controver-
siarum minorum aut inter minoris fortis homines exor-
tarum. *Vt enim de profanis primum dicamus; in singulis*
quidem pagis ordinarii harum litium judices fuere, qui
Graviones aut ex more Romano Comites sunt dicti, una
cum assessoribus. Nimurum more ab antiquissimis usque
temporibus servato, in pagos quos Gouas dicebant etiam
tum dividebatur Germania, & unicuique pago aliquis ex
primaria nobilitate Gravio præficiebatur litibus finiendis.

Offici-

Officium Comitis aut Gravionis optimè referunt literæ
Caroli Magni, quas ex archivis Tremoniæ vrbis recitat in
windiciis Billiganis Henricus Meibomius. Quapropter
in illa parte Saxonia Trutmannum virum illustrem ibidem Comi-
sem ordinamus, ut residenceat in curte ad campos, in mallo publico,
ad universorū causas audiendas, vel recte iudicia terminanda, iſq[ue]
advocatum omnium presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat,
superque vicarios & Scabinos, quos sub se habet diligenter inqui-
rat & animadvertisat, ita ut officia sua sedulò peragant. Formu-
lam aliam Comitatum aut Ducatum committendo-
rum habet Marculphus. n. 32. Insigniter hanc rem illu-
strat admonitio Ludovici Cæsaris ad Comites pro utili-
tate sanctæ Dei Ecclesiæ, quam cap. 6. l. 2. habet Ansegisus;
ut alia nunc testimonia non laudemus. Constitutos au-
tem hosce Comites fuisse à solis regibus cum ipsis illæ quas
modo adduxi formulæ probant, tum ex historiæ Francicæ
monumentis passim sole elucet clarius. Hinc inter leges
in quas superatos à se se Saxones accepit Carolus, legas à
rege præpositos iri judices h.e. Graviones, qui nempe ante
hac Conciliij populi autoritate constituebantur. Poëta-
ster Saxo vita Carolinæ ad Arnolphum Cæsarem scriptor:

Tum sub Iudicibus quos rex imponeret ipsis
Legatisque suis permisi legibus uti
Saxones patrijs, & libertatis honore.

X X VI. Assessores Comitum quosnam elegerint
& quales debuerint esse eligandi, constat item ex capitulis
Ansegisi. ubil. 3. cap. 33. ita legitur: Misit nostri Scabinos
(hi verò sunt illi assessores) per singula loca eligant, & eorum
nomina quando reversi fuerint, secum scripta deferant cap. 56.
ut indices, advocati, Scabinos quales meliores invenire possunt, &
Deum timentes constituant ad sua mysteria exercenda. Cum
Comite & populo eligantur mansueti & boni. Capit. Addit. iv.
cap. 73.

cap. 73. Mis̄i nostri ubi cunq; malos scabinos inventiunt eyciant,
Et totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, Et cum ele-
cti fuerint iurare faciant, ut scienter iniuste iudicare non debeant.
Ibidem cap. 74: Ut in omni Comitatu hi, qui meliores & vera-
ciores inveniri possunt elegantur à mis̄is nostris, ad inquisitiones
faciendas & rei veritatem dicendam, & adiutores Comitum sint
ad iusticias faciendas. Ex quibus omnibus patet, hos esse
illos scabinos, quos Tacitus olim narraverat Principibus
qui per pagos jus dicebant ex plebe comites fuisse datus,
adeoque fuisse homines ingenuos & ex plebe optimos.
Huc sanè spectat & illud c. 47. l. 3. de homine ad mortem
damnato cui post vita sit donata, ne ille inter scabinos ad legem
indicandam teneatur. Numerum horum definire non li-
cet. septem tamen fuisse dixeris ex capit. 40. l. 3. Ut nullus
ad placitum banniatur, nisi qui causam suam querit, aut si alter ei
querere debet: exceptis scabineis septem qui ad omnia placita esse
debent. Quomodo illi una cum Comite sententias dixe-
rint liquet ex chartā vet. Alemannica apud Goldastum
t. 2. n. 99: Interrogavit ipse Comes illos scabinos, quid illi de hac
causā judicare voluissent Alibi legas: Ante illustrem vi-
rum Hildogarium Comitem seu indices quos scabineos vocant ve-
nerant &c. Tunc ipsi Scabinei unanimiter indicarunt. Hinc
Glossorium vetus: Scabini, auditores Comitum.

XXVII. Porro cum gov̄ae seu pagi plerumque satis
late paterent, neq; adeò cuvis Gravioni (præsertim cum
illi & alia reipubl. negotia incumberent; sæpè etiam vel
valetudine vel negotijs rei familiaris detineretur) licuerit
judicijs interessere, hinc jam tum Comites vicarios insti-
tuuisse qui judicijs Comitum vice præfessent, nullum est du-
biū. Hi jam tum videntur dicti Sculthesij aut Sculdesij
Schulsten/ Schulßen. Frequens sanè mentio harum vocum
est in antiquis legibus Germanicis. In diplomate Otto-
nis

nis Imperatoris apud Baronium tom. 9. p. 5. disertè officium
horum exprimitur: Nullus Marchio, Comes, aut vicecomes
Sculdesius, vel quilibet ex indicaria potestate. Paulus V Var-
nefridus Histor. Longobardor. l. 6. c. 24. ait: Rector loci quem
Scultheis vocant. Secutis sanè temporibus præturae ejusmo-
di vicariam Comitum potestatem designarunt per omnem
Germaniam, quod imprimis ex Speculo juris Saxonici ma-
nifestum est.

XXVIII. Fuit autem penes hoc judicium tam cri-
minalium quam civilium actionum dijunctio. Ut liquet
ex præcepto remissionis sive concessionis quod fecit Lu-
dovicus Imper. Hispanis. *Ipsi pro maioribus causis, sicut sunt*
homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum ampu-
tationes, furtæ, latrocinia, alienarum rerum invasiones, & unde-
cung à vicino suo criminaliter fuerint accusati & ad placitum ve-
nire iussi, ad Comitis sui mallum omnimodi venire non recusent,
Item ex cap. 48. l. 3. Si alieui post iudicium scabiorum fuerit
orta controversia. item c. 50. Ut Comes qui latronem in forban-
num miscerit (i. e. proscripterit) vicini suis & aliis Comitibus
notum fecerit, illum latronem à se esse forbannitum, ut illi cum
non recipiant. Vbi notandum mallum tunc dici solitum lo-
cum judicij publici, qui cum antiquo more sub dio esset,
teatum illi addi voluit Carolus Magnus l. 3. capitulo 57. neq;
enim passus est Carolus in atriis Ecclesiarum judicia exer-
cere: quod malo more alicubi cæperat inolefcere: ut con-
stat ex cap. 60. l. 3. *Additionum.*

XIX. Operæ fortè fuerit pretium nonnulla heic
capitula recitare ex Capitulari Anfegisi, underatio judici-
orum illorum, de quibus jam agimus, illustratur. Capitul.
l. 3. c. 53: Nullus missus noster neq; Comes neq; Scabinus, cuius-
libet iustitiam dilatare presumat si statim adimplet a esse poterit
secundum certitudinem: neq; præmia pro hoc à quolibet homine

per aliquod ingenium malum presumat accipere. Cap. 3. tit. 22:
Aude & partem suam accipias de causa quam iudicat, de septem solidis remissim, de novem solidis unum. De omni compositione
semper novem partes accipias dum rectum iudicat. Cap. 3. t. 4.
Iude & si accepta pecunia male iudicaverit datum cogitur
in duplum solvere & 40. solidos infisco. Capit. l. v. cap. 25. 1.
In iustum iudicium & definitio iniusta, regio metu vel iussu à iudi-
cibus ordinata, non valeat. L. 4. c. 93. Primus ad placita eorum,
orphanorum, viduarum, nec non pauperum cause deliberen-
tur, nec propter aliquam dilatationem eorum iustitia à iudicibus di-
latetur. Comes illos adiuvet dando eis talem hominem, qui ration-
nem eorum teneat & pro eis loquatur. Sunt autem patroni illi-
causarum dicti tum advocati, causidici, & clamatores.
De quibus itidem multa sunt capitula. Vt l. 2. cap. 114:
Si advocatus in causa suscepta iniqua cupiditate fuerit repertus &
conventu honestorum & à iudiciorum communione separetur.
Item: si quis hominem in iudicio iniuste contra alium altero can-
tem adiuvare per malum ingenium presumserit, atque inde coram
iudicibus vel Comitibus incensatus fuerit, & negare non potest,
quindecim solidis culpabilis iudicetur. L. 3. c. 7: Declamatoribus
vel causidicis, qui nec iudicio scabinorum acquiescere, nec blasphemare
volunt, antiqua consuetudo observetur, id est ut in custodia
recludantur donec unum è duobus faciant. Et si ad palatum
pro hac reclamaverint & literas detulerint, non quidem eis cre-
datur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsis
literis pariter ad palatum nostrum remittantur, ut ibi disserian-
tur sicut dignum est. In quibus postremis verbis quid sit
blasphemare præclarè docet clariss. Lindenbrogius in do-
ctissimo glossario.

XXX. Præter hæc Iudicia fuerunt tum temporis &
judicia sacra. Primum enim in vitam & mores Christiano-
rum

rum civium usq; adeo licuit advertere sacerdotibus, ut sen-
tes potuerint cum alijs canonicis pñnis, tum etiam excom-
municatione pletere. Habuit autem tunc excommuni-
catione effectum longè maximum. Hinc capitulum. 42. l. 5.
Et sciatis qualis sit modus istius excommunicationis: in Ecclesiastis
non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sume-
re, nec eius munera quisquam ascipere debet, nec ei osculum porri-
gere, nec ei oratione se iungere, nec salutare, antequam ab Episco-
po suo sit reconciliatus. Capitul. 130. l. 6. Si quis à commu-
nione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solum à
clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atq. convivio pla-
quit excludi, donec resipiseens ad sanitatem redire festinet. In
hanc duram pñnam vero incurrit non tantum ipse excom-
municatus, sed qui contra legem cum illo quid habebat
commune. Diserte id decernitur *capitulo 42. l. 5.* ante lau-
dato. Si quis noluit sententiae illi Excommunicatoriae pa-
vere de illo idem capitulum: *Quod si aliquis ista omnia con-
tempserit, & Episcopus hoc minime emendare potuerit Regis iudi-
cio exilio condemnetur.* Pari vero modo qui refragabantur
pñnitentiam à sacerdotibus indictam sustinere, eorum bo-
na à Comite aut Misso regio Episcopis tradebantur donec
resipiscerent: ut habet capit. 330. l. 7. vel vero in carcerem
à Comite protrudebantur. *Quod si porro Comes (verba
sunt capituli) vel qui ministri hoc adimplere distulerit, canonice
ab Episcopo vel à suo ministro excommunicetur, & usq; dum haec
plerenter adimpleat semper communione catholicorum careat; usq;
dum ipsi Episcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit.* Si
vero ipse Comes, aut de predictis causis aut de ipsa excommunica-
tione inobediens aut negligens apparuerit, honore Comitatus pa-
riter & communione careat, usq; dum ambo in nostram presentiam
veniant, ut nos illum Episcopali auctoritate, atq. Imperiali motu i-
nacorrigamus, ut ceteri timorem habeant, ut deinceps talia com-

mittere nullatenus audeant. Ab ejusmodi porro sententia Excommunicatoria non fuit provocatio admissa alia quam ad Metropolitanum Episcopum. Hinc capitulum 42. l. 5. Quod si aliquis reclamaverit quod iniuste sit excommunicatus, licentiam habet ad metropolitanum Episcopum venire, ut ibidem secundum canoniam institutionem iudicetur, & interim suam excommunicationem custodiat. Tam late vero patebat hoc judicium sacrum ut nihil non criminum illuc sensim traheretur, quod ex multis capitularium locis percipere est. Seorsim de perfidis capitulum 141. l. 6. ita decernit: *Ne iudices quicquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conhibentiam indicare presumant.* Quae omnia potestateim sacerdotalem supra modum & morem Germanicarum gentium auxerunt. Etsi enim jam alibi idem effectus Excommunicationis dudum obtinuisse, ceu liquet ex epist. 58. Synesij qua excommunicatur Andronicus Pentapolitanus praeses, tamen non passim hactenus is rigor invaluerat, certe apud Germanicas gentes tale quid erat insolitum.

XXXI. Secundo concessa quoque est Episcopis omnis in clericos & monachos iuridictio. Capitul. 39. l. 5. *Vt omnes presbyteri, diaconi & subdiaconi sub potestate Episcopi maneant.* Cap. 25. ejusdem libri: *Monachos per unam quamq; civitatem aut regionem subiectos esse Episcopo suo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo ieiunis & orationi, in locis qui- bus renunciaverint seculo permanentes.* Clarius huic facit capitulum ccxxxvii. l. v. *Sancitum est ut nullus Episcopum aut sacerdotem vel clericum apud iudices publicos accusare presumat, sed apud Episcopos.* Item capitulum cvii. l. vii. Clericus cuiuslibet gradus sine Pontificis sui permisso nullum ad seculare iudicium presumat ad trahere, nec latcoquem liber clericum in seculari iudicio liceat accusare: cum etiam privatorum Christianorum causas

Apo-

Apostolus ad Ecclesiás deferrit atque ibidem terminari precepit. Item capitul. ccclxix. Ut clerici qui iudices secularis appetunt, excommunicentur. Item alibi. Nemo audiat clericum aut monachum, aut sanctimoniale fœminam ad civile iudicium accedere, sed ad Episcopum; & ipse ex lege vel canonibus consentaneam & iustam sententiam proferat. Si quis hanc constitutionem violaverit in magistratu positus X libris auri pæna multabitur. Si executor est in catenis Ecclesiarum recludatur, pænas luiturus & officium perdat. Item: volumus primo, ut neque Abbates, neq; presbyteri & diaconi & subdiaconi, neque quilibet de clero de personis suis ad publica vel secularia iudicia trahant, sed a suis Episcopis adiudicati iusticias faciant. Si autem de possessiōnibus suis seu Ecclesiasticis seu propriis clamor ad indicem venerit, mittat index clamantem cum missis suo ad Episcopum, ut faciat eum per Advocatum accipere. Facit hoc illud Flodoardi ex epistolis Hincmari: Quia de presbytero & Ecclesia ad Episcopum & Synodum definitio pertineat, non ad mallum vel cūlulum indicum dispositionem.

XXXII. Ut autem Episcopus fuit judex constitutus omnium ejusmodi negotiorum, ita ipsius Episcopi causa in synodo vel apud Metropolitanum agitata fuit. Eam in rem tum alia sunt capitula tum præcipue ccxxxiv. l, vii. Nullus Episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur, sed vocato eo canonice in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus Episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamq; proferre debent sententiam: quia si hoc minoribus tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de Episcopus servare convenit? Nam si ipse Metropolitani aut iudices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud Primate diaceos, aut apud Romanæ sedis Pontificem indicetur. Vbi notandum Primo aliud secundum leges tum fuisse metropolitanum & aliud Primum. Qua de re legendum capit.

capit. CCCXL I. & CCCLX. libri septimi. Secundo id cum pri-
mis observandum, datam Episcopis pariter & auctoribus
alijs provocandi ad Papam licentiam. Quod ipsum con-
firmat capitulum CCXXXV. ejusdem libri: Placuit ut si Epi-
scopus accusatus appellaverit ad Romanum pontificem, id statuen-
dum quod ipse censuerit. Et CCXL I: Quod si adversus provincie
Metropolitanum Episcopus vel clericus habuerit querelam, perat
Primatem diaecesos & apud ipsum iudicetur, aut apud sedem Apo-
stolicam. Item cap. CCCXLIX: Si forte (quod non optamus)
aliquem Episcoporum contra proprium Metropolitanum, vel con-
tra alios quoq[ue] contingat aliquid habere causa, decrevimus ut ab
hoc Sedis Apostolice iudicium is qui petere festinat, licentiam ha-
beat. quod scitis canonum antiquorum patrum institutione permis-
sum. Nec non capit. CCCXI I I. Ut indicatus Episcopus ad A-
postolicam sedem, si voluerit, appelleat. Ex concilio Sardicensi tit. V.
Quod si appellaverit, in cathedra ipsius alter non ordinetur.
Observandum autem iterum est, talem provocationem ad
Papam extra diaecesim reorum, antiquis canonibus minime
esse consentaneam. Vetustissimi enim canones, etiam
Nicæni ipsi volunt, ut causæ quæque in suis provincijs &
diaecesibus finiantur: nec Sardicensis canō permittit appella-
tionem in futurum ad omnes Episcopos Romanos, sed
ad solum Iulium Papam, qui tum vivebat. Ut taceam, ca-
nones illius concilij Sardicensis primis & melioribus tem-
poribus parū vel nihil habuisse auctoritatis in multis etiam
Occidentalis Ecclesiæ diaecesibus, ceu liquet ex certamine
Paparum cum Episcopis Africanis. Ipsa Gallia videtur ante
tempora hæc Carolina ijs caruisse, ut quæ antehac fuerit
usa proprio libro Canonum, non vero illo Romano Dionysij Exigui, qui Caroli demum ætate in Galliam pene-
travit, ut rectè observatum Iac. Lefchafferio l. de libertatib.
Eccles. Gallicana. Neque vero temerè legas, in Gallia obti-
nuisse

nuisse ante hac appellationes ad Romanum Papam, nisi
semel iterum, & reclamantibus quidem Episcopis. Cum
post hæc Hincmarus Laudunensis illuc provocasset, op-
posuit novæ isti rei Rheemensis Hincmarus veteres canones
Gallicanos. Et sane primus Dionysius videtur in Codicem
canonum in universa Ecclesia post receptum hosce Sardi-
censes transtulisse. Hinc ait in præfat. *Et ne quid præterea
notitia vestra videar velle subtrahere, statuta quoq. Sardicensis
Concilij ag. Africani, qua Larinæ sunt edita, suis à nobis numeris
cernuntur esse distincta.* Quod ipsum post & Græci non
improbarunt, ut liquet ex canone 2. synodi quinisextæ
Trullanæ: quod nempe sua satis de auctoritate sibi cautum
putarent Constantinopolitana sede Romanæ æquatâ, nec
minus hæc atq; illa ad summū Ecclesiæ regimen improbis
conatibus adspiraret. Cæterum hæc obiter. Quantumvis
vero certum sit in illo concilio demum jaœta esse funda-
menta Papalis in omnē Ecclesiam majestatis: imo ejusmodi
canones omnes tanquā leges mere positivas & sâpe tantū
ad rem public. Romanam veterem accommodatas, merito
non debuisse attendi mutatâ dudum republ. Romanâ,
adeoque nihil bonæ rationis subfuerit, hac tamen ratione
Papalem tyrannidem in regimen Ecclesiasticum Germa-
niae traductum esse certum est.

XXXIII. Quamvis vero novo exemplo cœperit
tum provocatio Episcoporum ad Papam à judicio suspecti
Metropolitani, tamen si in synodo causa eorum jam fuerit
acta & regiâ auctoritate decisâ, non licuit provocare. Sane
ausus id fuit Hincmarus Laudunensis Episcopus, neque
minus avide id arreptum ab Hadriano secundo Papa circa
annum 871, qui non veritus est à Carolo Calvo poscere, ut
Hincmarum illum sisteret Romano judicio. Verum acer-
rimè restiterunt hisce conatibus non tantum Episcopi il-

D

lius

Ius ævi, sed & ipse Rex Carolus, ex cuius epistola ad Papam quædam heic recitare operaे fuerit pretium. Sed valde mirati sumus, ut Rex corrector iniquorum & districter reorum, ac secundum leges Ecclesiasticas ac mundanas ultior criminum, reum legaliter & regulariter pro excessibus suis damnatum, suâ fretum potentia Romanam dirigat, maximè autem illum qui & ante dispositionem, contra custodiam publicam & contra quietem moliri in tribus synodis exitit deprehensus. Item: Vnde sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causâ necessarium est: quia Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum vicedomini, sed terræ domini habentus fuimus computati. Et ut Leo ac Romana synodus scripsit: Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcepit præesse, ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta diuina constituta permiserunt, non vero Episcoporum villici extiterunt. Quæ omnia longè sunt verissima: namque & ubi valuit Sardicensis canon haud licuit à regio judicio ad Papam appellare: utut simile quid insolito exemplo ausum aliquando Athanasium videri possit. Regno porrò Francorum durante non minus jure jurando Regib[us] devin&i erant Episcopi atque subditorum alij. Ipsemet Laudunensis Hincmarus libro purificatione, quem synodo obtulit, ita scribit: Ego Hincmarus Ecclesia Laudunensis à modo & deinceps Domino seniori meo Carolo Regi sic fidelis & obediens secundum meum ministerium ero, sicut homo suo seniori & Episcopus pie victuro suo Regi esse debet. Ut taceam, illâ ætate Papas ipso metu judicio Cæsareo obtemperare coactos esse.

XXXIV. Tertium munus Episcopalis sacri judicij fuit decisio quarumvis litiū ad id perlatarum. In eam rem facit capitulum CCLXXXI, libri sexti apud Benedictum Levitam: Volumus atq[ue] precipimus, ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subiecti, tam Romani quam Franci, Alemani, Baiovarij,

SAXONES,

Saxones, Thuringij, Fresones, Galli, Burgundiones, Brittones,
Langobardi, Vascones, Beneventani, Gothi, Hispani, ceteriq;
nobis subiecti omnes, licet quocunq; videantur vinculo conficti;
vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam quam ex XVI.
Theodosij Imperatoris libro capitulo videlicet XII ad interrogata
Ablavij Ducis illi & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter no-
stra Capitula pro lege tenendam consuli omnium fidelium nostro-
rum, tam clericorum quam & laicorum possumus, lege cunctis
perpetuanendam; id est. Quicunq; litem habens, sive posses-
sor, sive petitor fuerit, vel, in initio litis, vel decursis temporum
curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum iam cœperit
promisentia, si iudicium elegerit sacrosancta legis antisitatis.
illoco sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Epis-
coporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa
enim que in iudicio captiosa præscriptionis vincula promi non pa-
tiuntur, investigat & promit sacrosancta religionis auctoritas.
Omnis itaq; causa, que vel Prætorio iure vel civili tractantur,
Episcoporum sententiis terminata, perpetuo stabilitatis iure fir-
mentur. Nec liceat ulterius retractari negotiorum, quod Episcopo-
rum sententia deciderit. Haec tenus capitulum Carolinum.
Manifestum vero est, cum tam multa & varia fuerint Epis-
copali judicio commissa, longè hoc judicium judicio Co-
mitum præstisse, cum multitudine negotiorum, tum
auctoritate & dignitate. Nullo autem reipubl. bono vel
certè per exiguo multa horum ita esse constituta docuit e-
ventus, Episcopis in tyrannos prope degenerantibus, &
dum alienis incumbunt curis sui quod erat muneris ne-
gligentibus, summo Ecclesiæ Germanicæ damno. Quod
latius exponere non est hujus loci.

XXXV. Proximi post sacra illa judicia ordinis ea-
dem tempestate fuere judicia de bonis sacris cum Epis-
coporum & Monasteriorum, tum singularum etiam mino-
rum

rum ecclesiarum. Neque enim harum rerum iudicium
fuit penes ipsos clericos aut monachos, sed alios singula-
tim a Regibus in id constitutos, qui Vicecomiti, Advo-
cati aut **Kastenvogte** audiebant. Quamvis enim horum
curatio etiam ad multa alia pertineret, tamen nostri insti-
tuti non est, reliqua nunc tangere. Advocatorum vero
fuisse iudicare de Abbatum, presbyterorum, diaconorum,
subdiaconorum & reliquiorum ordinis cleri controversi-
onis bonis clare liquet ex verbis capitulari. th. 31. adductis:
Si autem de possessionibus suis, seu Ecclesiasticis seu propriis clamor
ad indicem (secularem scil.) venerit, mittat iudex clamantem
cum Missis suo ad Episcopum, ut faciat eum institiam per Advocatum accipere. Capitulari. l. 3. c. 11. De Vicecomitiis, vice-
ariis & centenariis pravis, ut tollantur & tales elegantur, quales
& sciant & velint justè causas discernere & terminare.
De Episcopalibus bonis eadem fuit ratio. Hinc libro v.
capit. 234. legitur: Hoc statuimus, ubiunque Episcopi substantiam
habuerint, Aduocatum habeant in ipso Comitatu, qui absq;
tarditate iusticiam faciat & suscipiat. Igitur tametsi causæ
personales cleri omnes non nisi ad cleri iudicium pertinue-
rint, bonorum tamen sacrorum prorsus alia fuit conditio,
utpote, quum horum etiam omnis administratio optimo
consilio Advocatis (hominibus utique non ex clero)
fuerit commissa. Vnde Hincmarus ep. 7. c. 31. Decretum
est, ut Episcopi, universi sacerdotes habeant Aduocatos; quia
Episcopi universi sacerdotes ad solam laudem Dei bonorumq; ope-
rum actione constituuntur. Debet ergo unusquisq; eorum, tam pro
Ecclesiasticis quam etiam propriis suis actionibus, habere Aduoca-
tum non male suspectum, sed bona opinionis, ne dum humana lucra
attendant, aeterna præmia perdant.

XXXVI. Quamvis vero ea quam proximè narravi-
mus fuerit ratio iudiciorum statutorum per omnem Germaniam

titam de causis minoribus, illa tamen eadem negotia non
ita fuere hisce judicis astricta, ut nullus fuerit locus reli-
etus provocacioni ad Regem tanquam judicem supremum.
Imo superfuit ejuscemodi provocatio quantum videtur,
altera ad Missos aut legatos regios, altera ad ipsum Regis
Palatium. Non quasi in qualibet causa tale quid licuerit,
sed in nonnullis, & quidem cum Comites Episcopi Abba-
tes & alij officio suo minus recte fungerentur. Hinc vere
Vadianus l. de collegijs & monaster. Germania veteribus: Ad
Missos provocare adversus Comitum vel negligentiam vel illatam
injuriam etiam plebi ticebat, actione hinc data concessaque, qui se
neglectum fraudatumve aut iniquius a Comite tractatum quere-
retur. Et vero Missis illis inquirendi potestas in omnes mo-
res eorum qui populi rectores erant constituti, committi-
tur multis verbis l.z. capitul. 28. Seorsim ut in Episcopo-
rum & Comitum vitam inquirant injungitur l.z. capit. 12.
Nec vero tantum inquisitio illa Missis fuit commissa, sed
ex parte etiam animadvertisi in fontes potestas. Huc
fane faciunt illa l. 4. c. 66. Vbicunque Missi aut Episcopum aut
Abbatem, aut alium quemlibet quocong. honore praedictum inve-
nerint, qui iustitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipsis re-
bus vivant; quamdiu in eo loco iusticias facere debent. Nec non il-
la l. 5. c. 183: Si Comes in suo ministerio iusticias non fecerit,
Missis nostris de sua casa vel de suis xeniis serviat, usque dum iu-
sticia ibi facta fuerint. Et si Vassus noster iusticias non fecerit,
tunc & Comes & Missus noster ad ipsius casam sedeant, & de suo
current, quousque iusticias faciant. Nec vero a judicio Missi re-
gij cuiquam Comitum, Abbatum, Episcoporum licuit
abesse, ut diserte cayetur l.4. cap. 17: Ut omnis Episcopus Ab-
bas & Comes, excepta infirmitate vel nostra iustione, nullam ex-
cusationem habeant, quin ad placitum Missorum nostrorum ve-
niat, aut talem vicarium suum mittat, qui in omni causa pro illo

reddere rationem posse. Hinc porro non licuit Missis iudicium instituere eo loci ubi Comes reipub. causam aberat, quod decernitur l. 4. capit. 68. ut nec moram ducere, ubi Comes bene fuit officio functus.

XXXVII. Libet addere in majorem hujus rei lucem. *Capitulum 26. l. 2. de Missorum officio.* Primo, ut conuentum in locis duobus aut tribus congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire possint. & omnibus generaliter notum faciant, qualis sit eorum legatio. Scilicet ad hoc esse se a nobis Missos constitutos, ut si quilibet Episcopus aut Comes ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non posset, ad eos recurrat; & cum eorum adiutorio ministerium suum adimplat; & si talis causa fuerit, qua per eorum admonitionem emendari non posset, per eos ad nostram notitiam deferatur; & si forte Episcopus aut Comes aliquid negligentius in suo ministerio egredit, per istorum admonitionem corrigatur: & omnis populus sciat, ad hoc eos esse constitutos, ut quicunque per negligentiam, aut incuriam, vel impossibilitatem Comitis, institutionem suam acquirere non potuerit, ad eos primum querelam suam possit deferre, & per eorum auxilium institutionem acquirere; & quando aliquis ad nos necessitatis causa reclamaverit, adeo possumus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipsi vero Missi non sine certissima causa vel necessitate huc illucque discurrant, nisi forte quando tale aliquid in cuiuslibet ministerio, ad legationem suam pertinente, ortum esse cognoverint, quod eorum presentia indigeat, & siue illorum consilio vel adiutorio emendari non posset. Inde tamen debent esse solliciti, ut propter illorum negligentiam nihil in sua legatione incorrectum remaneat: sed ubi certam & veram necessitatem cognoverint, nostram iussionem adimplere non negligant. Operae etiam fuerit pretium hic legere *Capitulum 83. l. 3. de tempore judiciorum a Missis illis instituendorum.* Volumus ut propter iusticias, que usque modo de parte Comitum remanserunt, quatuor

quatuor tantum mensibus in anno Missi nostri legationes suas exerceant: id est, in hyeme, Ianuario; in verno, Aprili; in estate, Iulio; in autumno, Octobri. Ceteris vero mensibus unusquisque Comitum placitum suum habeat, & iusticias faciat. Missi autem nostri quater in uno mense, & in quatuor locis habeant placita sua cum illis Comitibus; quibus congruum fuerit, ut ad eum locum possint convenire. Denique cum publico sumptu regij illi Missi vixerint, dignum quoque lectu est capitulum 74. l. 4. ut pateat simul illius ævi frugalitas. De dispersa Missorum nostrorum, qualiter unicuique, id est, propter coniugem ac domum eius custodiendam, iuxta suam qualitatem dandum vel accipendum sit. Videlicet Episcopales panes xi. frisingæ iii. de potu modij tres, porcellus unus, pulli tres, ova xv. annonæ ad caballos modij quatuor. Abbatii, Comiti, atque ministeriali nostro unicuique dentur quotidie panes triginta, frisingæ due, de potu modij duo, porcellus unus, pulli tres, ova xv. annonæ ad caballos modij tres. Vassallo nostro panes x & vii. frisinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annonæ ad caballos modij duo.

XXXIX. In ipsomet Regio palatio itidem fuere causæ judicatae, & quidem partim per ipsum Regem, partim per Comitem Palatij. De illo judicio agit additio l. 4. Capitular. Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomade unum diem ad causas audiendas & iudicandas sedere volumus. Videntur autem ad Regem delatae causæ potissimum per appellationem, nec eam quamlibet. Id enim aperte fuit constitutum: Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri aut Comites eis iusticias facere noluerint. Item: si aliquis voluerit dicere, quod justè ei non judicetur, tunc in præsentiam nostram veniat: aliter vero non præsumat in præsentiam nostram venire pro alterius iustitia dilataranda. Præter hæc tamen

tamen ad Regis ipsius iudicium pertinuerunt omnes cau-
ſe minores inter Episcopos, Abbates, Comites, & poten-
tiores quoſque controversiali, ut ſupra theſ. 24. jam tum
demonſtravimus. De Carolo Magno Eginhardus in vita:
*Cum calceare iur & amiciretur non tantū Comes admittebat, ve-
rum etiam si Comes palatiū litem aliquam eſſe diceret, qua ſine eius
iufu definiſiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci iuſſit, & velu-
ti pro tribunali ſederet, lite cognitā ſententiam dixit.*

X X X I X. Ad Comitem Palatiū videntur delatae
duorum generum cauſe: aliae quæ alibi decidi non po-
terunt per provocationem partium litigantium: aliae circa
ipſum palatiū regium, aut in aula ipſam etenac. Memo-
ratu digna ſunt de officio Comitis illius verba Hincmari
Rhemensis Archiepifcopi, hominis ut dignitate ſummi,
ita rerum regni Francici ſuo ævo peritissimi, habentur au-
tem illa cap. 19. & 21. e p iſt o l a e ad Ludovicum Balbum
regem, *Comes Palatiū, de omnibus ſecularibus cauſis, vel iudi-
cici ſuſcipiendo curam inſtanter habebat, ut nec ſeculares priuſ
Dominum Regem abſq. eius conſultu inquietare neceſſe haberent,*
quonſque ille prævideret, ſi neceſſitas eſſet, ut cauſa ante regem
merito venire deberet. Capit. 21. Comitis autem palatiū, in-
ter cetera pene innumerabilia, in hoc maxime ſollicitudo erat,
ut omnes contentiones legales, que alibi ortae, propter aqui-
tatis iudicium, Palatiū aggrediebantur, iuſſe & rationabili-
ter determinaret, ſeu peruersa iudicata ad aquitatis tramitem
reducere; ut & coram Deo propter iuſtitiam, & coram homi-
nibus propter legum obſervationem, cunctis placereſ.
Audivimus vero jam tum ſupra theſ. 24. capitulum Ca-
roli Magni, quo prohibetur Comes palatiū potentiorum
cauſas niſi mandato regio decidere: tantum (inquit) ad
pauperum & minus potentium iuſtitias faciendaſ ſibi ſciat eſſe
vacandum.

XL.

XL. In hunc modum fuere constituta omnia iudicia cùm alibi qua patebat regnum Francorum, tum etiam per Germaniam, quo tempore floruit maximè illa respublica sub Carolo Magno & Ludovico Pio. Omnia perinde ita observata fuisse etiam nepotum ætate haud dixerim. Fuit enim tandem turbulenta admodum respublica per intestinos motus, & Normannorum incursionses, & sensim dignitas regia plurimum decrevit, maximè post creatos Duces quasi hereditarios. Cæterum eo quo diximus modo legibus & consuetudinibus publicis judicia tum fuisse instituta certū est. Sunt qui ab eodē Carolo deducant & judicium illud VVestphalicum quod vetitum nuncupat. Aeneas Sylvius I. de statu Europa. c. 29. alijs occultum alijs yemicum judicium appellatur. Quanquam vero haud negem trecentis ab hinc annis ita creditum esse, tamen dubitare me jubet de famæ fide silentium omnium non Carolini tantum ævi sed & multorum post seculorum, utpote quum nemo ante Sylvium illum de hoc judicio quidquam memoraverit: yerosimile autem non sit interea temporis à nemine tale quid dictum illorum qui minima maxima solent narrare. Ad hoc ea fuit iudicij illius iniquitas & barbaries, ut à Carolo, rege & prudente & pio, illud esse institutum prorsus abhorreat à fide. Nec verò insolens est avorum ævo in Carolum auctòrē referre constituta etiam novissima. Quale vero fuerit illud iudicij gen⁹ narrant post Aeneam Sylvium, Felix Faber Histor. Suevorum l. 1. c. 7. sed adductis verbis Sylvij, VVernerus Rolevinkius Saxonia antiqua p. 2. c. 6. Ioannes Aventinus l. 4. Annal. ad annum 794. Crancius Saxonia l. 2. c. 21. Letznerus de vita Caroli Magni cap. 15. addens ejus iudicij usum superfuisse in provincia VVolpensi Ducatus Brunsuicensis, adhuc ætate Erici senioris Ducis, verum hunc ex consilio Iustini Gobleri ICTI.

E

omne

omne illud abolevisse. Non est nostrum ejus formam re-
censere, aut barbariem multis perstringere.

XLI. Considerantibus autem omnem illam judi-
ciorum constitutionem haud difficile liquet, optimè illam
convenisse & populi moribus & integro reipubl. statui.
Neque verò in regno legitimo, & ubi reipublicæ summa
non debet esse penes unum regem, & plebs ingenuè ac li-
beraliter habenda est, meliorem judiciorum rationem
possit inire. Qui enim rectius caveris optimatum liber-
tati, quam si causæ, illorum famam vitam dignitatem &
maxima bona attinentes, non nisi in optimatum concilio
decidantur? Quomodo plebi melius consulueris, quam
si & illi liceat ex suo ordine judiciorum assessores dare, & a
judicium inquis sententijs appellatio ad legatos regios &
regem ipsum in promptu sit? Quomodo denique cum
optimatum & populi libertate accuratis tempera-
veris regiam potestatem, quam si maximarum litium
judicia ipsimet regi ex parte committantur, si ille
possit per se & suos legatos in totius regni judicia ex
parte advertere: si potissimum judices ipsius auctoritate con-
stituantur; nulli porro admittantur nisi de ipsius consen-
tu? Liquet porro ex ijs quæ adduximus, controversias ob-
ortas nō in longū protelatas, sed obtinuisse tūm processum
simplicem, facilem, & brevi tempore circumscriptum.
Est autem & hoc maximè in reipublicæ commodum.
Quam utilis præterea fuit litium paucitas! cum singuli ex
plebe intelligere possent leges secundum quas esset sibi vi-
vendum, nec processus simplex pateretur litium diuturnit-
atem, & causidicorum malitiæ non pateret forum. Vnum-
tamen illud meritò reprehendas, quod lege permisum sit
causas Episcoporum ad Papam extra diœcesin Germaniæ
deferre. Quantumvis enim initio id ipsum non summè no-
cuerit,

cuerit, quamdiu Papa ipse unum cum Germania regem reverenter coleret, tamen damnosum fuit reipubl. extra regni limites judicem aliquem admittere, qui posset non esse subditus Germaniae regi, qualis utique fuit Papa statim ab obitu Ludovici Pij, quo tempore & Germania fuit distincta à republ. Romani Imperij & Papa tyrannidem suam cœpit struere, evilescente Francici regni autoritate.

XLII. *QVEMADMODVM* post tempora Francorum aliquot proximis seculis habuerint sese Germaniae judicia difficilius explicatu est, eo quod nullæ extant vel certe paucissimæ leges temporibus illis in republ. latæ quæ id ipsum significant, historici quoque ejus ævi reipubl. omnis imperiti & negligentes paucissima memoraverint quæ huc faciant. Etiam sic tamen revocare pereuntem memoriam judiciorum fortassis fuerit operæ pretium. Initium vero faciemus de causis Regum ipsorummet, utpote qui & ipsi moribus antiquis jurisdictioni alicui ratione regiminis fuerint subjecti. Inde dicemus de judicio causarum majorum pertinentium ad Principes seculares quos vocant: post de judicijs Episcoporum differemus, utpote qui etiam ipsi Principibus in republ. nostrâ accensentur: adjecturi denique de judicijs magis plebeiarum rerum nonnulla. Quibus perspectis demum licebit decernere quam bene quam male judiciorum omnium ratio sese habeat, & quomodo vitijs si quæ sint possimus mederi.

XLIII. *REGVM* igitur causæ pertinentes ad reipubl. administrationem, ut olim ita & post agitatæ sunt frequenter in comitijs regni. Ita Henricus IV. Cæsar male administratæ reipubl. aliquoties in comitijs postulatus fuit, corundemque auctoritate regia dignitate exutus. Accidit idem & Ottoni IV. & Friderico II. non enim jam disputo, sint ne in horum causis ex jure aut æquo omnia

gesta: Comitiorum auctoritatem etiam tum in tanti momenti negocijs observatam esse satis est si jam attendamus.

XLIV. Duo tamen acciderunt nonnunquam multum appriscis moribus dissidentia. Alterum est quod Concilij omnium ordinum illa vis ad solos Electores transire cäperit post enectam multum novo more Septemvirorum dignitatem à Carolo I V. Hoc jure equidem VVenceslaus Cæsar tantum ex Electorum sententia depositus fuit, & post in Septemviralibus comitijs pene solis de causis istis regis fuit ætum. Alterum quod Papa Romanus cäperit non tantum arrogare sibi ceu aliquis feudi dominus immo verò tanquam vice deus orbis Christiani, jurisdictionem in Cæsares & Reges Germaniæ, sed etiam illos immorigeros communicatione sacra in tantum excludere, ut omnes ciues & Ordines juramento fidelitatis solverentur. Sanè (ut de sacrâ potentia quam Papa sibi arrogat prius dicimus) etiam Carolina ætate est creditum, quod excommunicatione habeat effectum civilem aliquem, ratione socialis virtutæ: verum ne illud quidem ad Reges excommunicatos pertinere quisquam censuit. Ut nunc taceam, in reges excommunicationis fulmen vibrare planè fuisse factum insolens. Certè cum fama esset Papam Gregorium qui se se rebellum partibus addiderat excommunicaturum Ludovicum Pium Cæsarem, vox hæc fuit vulgaris Episcoporum Galliæ & Germaniæ: Si Papa venit excommunicatus, excommunicatus discedet, quia aliter se habet antiquorum auctoritas canonum, ut est in vita Ludovici. In Lotharium regni Lotharingici Regem adulterij causa Nicolaus itidem excommunicationem intendit, sed minæ effectu caruerunt. Carolum Calvum occupantem regnum Lotharij ex Ordinum tamen sententia, per Episcopos regni illius voluit excommunicatus

communicari Papa Hadrianus II. ipse met fulmen illud forte non ausus jaculari: nec tamen de alio effectu civili quidquam memorat quam ut se se abstineant a convictu & societate familiaris Regis. Frustra enim est Bellarminus *contra Barcianum c. 4.* quando hunc collocat inter eos qui Gregorio VII. paria fecerunt, subditis sacramento solutis; quantum prælussisse haud negaverim. Quid vero responsum sit ab ordinibus cum alijs tum Episcopis; patet ex epistola Hincmarii Rhemensis Archiepiscopi; adeoque inter Episcopos illos tum primi, ad Papam. Nunquam (scribit dictum vulgo) huiusmodi præceptionem ab illa sede vlli decessorum meorum missam fuisse, etiam si inter reges non tantum sacramentis confederatos; sed inter patrem ac filios ac inter fratres, prælia ac seditiones eorum temporibus fuisse noscantur. Item. Nec etiam ad hereticorum vel schismatatorum sive tyrannicorum Imperatorum ac Regum, quales fuerunt Constantius Arianus ac Apostata Julianus & Maximus tyrannus, praesentia & salutatione sive colloctione, sedis Apostolica Pontifices vel alijs magnæ auctoritatis atq. sanctitatis Episcopi, cum locus & ratio & causa exegit, se subtraxisse leguntur. Item: Et dicunt seculariem scripturam dicere, quia omne regnum seculi huius bellis queritur, victorys propagatur, & non Apostolici vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur. Item. Petre domum Apostolicum, ut quia Rex & Episcopus simul esse non posset, & sui antecessores Ecclesiasticum ordinem, quod sum est, & non rem publicam quod Regum est, disposuerunt, non precipiat nobis habere Regem, qui nos in sic longinquis partibus adjuvare non posset contra subitanos & frequentes paganorum impetus, & nos Francos non jubeat servire, cui nolumus servire; quia istud ingum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, ut pro libertate & hereditate nostra usque ad mortem

certare debeamus. Et, si aliquis Episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestate ligandi tollit. Et, nullis viam eternam potest tollere, si sua peccata illi eam non tollunt. Et, non convenit ulli Episcopo dicere, ut Christianum, qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo, nomine Christianitatis beat priuare, & cum diabolo colloquare, quem Christus sua morte & suo sanguine de potestate diaboli venit redimere, & Christianos pro fratribus suis animas suas docuit ponere. Propterea si dominus Apostolicus vult pacem querere, sic pacem querat ut rixam non moveat: quia nos non credimus, ut aliter ad regnum Dei pervenire non possumus, si illum quem ipse commendat terrenum Regem non habuerimus. Plura ex epistola Hincmarii adducere non vacat: & vero tota meretur hac de re legi.

XLV. Post hæc de regibus excommunicandis in Papali aula videtur altum silentium fuisse usq; ad Gregor. VII. aut Hildebrandum, illum terrarū orbis titionem. Hic primus omnium non dubitavit Cæsarem Henricum IV. cuius erat subditus civilium delictorum causa & Romam ad dicendam coram se se causam vocare, & non venientē statim excommunicare, simulque subditos sacramento jurata fidelitatis exsolvere, perduelles denique ad novum regem sibi creandum omnibus modis impellere. Quorum nihil omnibus retrò seculis in Christiano orbe auditum est. Benè enim Otho Frisingensis l. 6. c. 35: *Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quenquam ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum & regno privatum.* Benè item Onuphrius Panvinius l. 4. de var. creatione Romanorum Pontificum, quem edidit Iesuita Gretzerus, facinus illud Hildebrandi appellat, *rem ante eascula inauditam: nam (inquit) fabulas, qua de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur, non moror.* Eodem tamē modo

modo tñnarunt alij Hildebrandini successores in Henrī-
cum V, Fridericum I, Philippum II, Fridericum II, Ludo-
vicum IV.

X L V I. Quamvis autem omnibus illis Papis non
perinde omnia ex voto successerint, iniquitatem sententiæ
atque impietatem prudentioribus quibusque & æqui stu-
diosis, superstitionis pipario nonnihil sublato, animadver-
tentibus ; attamen certum est nunquam defuisse qui Pa-
palia illa fulmina tamquam cælitus profecta venerarentur,
certum est etiam non tam in dubium vocatum numquid
tale possit Papa, quam utrum justis de causis diram ejus-
modi sententiam in hunc aut illum tulerit. Pauci sanè
cum V Valtramo Naumburgensi, cū Sigeberto, cum Mar-
filio Patavino, Ianduno & Ockamo ipsammet illam Papæ
potestatem injuriæ postulaverunt. Autor Speculi Saxo-
nici limitat quidem illam, ut tamen non tollat. *Papa*
(inquit) *non potest nec aliquis aliis Dominum Imperatorem*
excommunicare postquam consecratus est & unctus, nisi solùm in
tribus casib⁹: si dubius fit in fide: si repudiet uxorem suam le-
gitimam: si destruat Ecclesiam. Nec alia fortassis fuit senten-
tia multorum aliorum, etiam qui visi sunt maximè facere
pro dignitate regia. Abbas Tritthemius nihil aliud quam
hoc ausus est dicere in *Chron. monasterij Hirsaugiensis ad an-*
nnum 1106. Scholastic⁹ certant & adhuc sub judice lis est, utrū Papa
potest Imperatorem deponere. Quo tamen manifestum fit non
accidentā tum temporis catholicæ fidei articulis doctrinam
Hildebrandinam, verū citra hæresios infamiam adver-
sam sententiam solere tum defendi. A Lutheri ætate jam
ultra centum annos ab omnibus Protestantibus damnatus
est Hildebrandismus, & asserta reipubl. libertas : neque
dubito etiam in numero illorum qui Protestantum par-
tibus non accesserunt(ut in Gallia, Italia & alibi est factum)
satis

satis multos hactenus sensisse & etiamnum sentire paria.
Fortè tamen illorum nemo publico scripto docere id au-
sus fuerit. Ex adverso quasi regnum aliquod occuparunt
inter illos Lojolæ socij, quibus nihil videtur prius quam
Hildebrandisnum propagare, adversarijs atheorum hære-
ticorum & politicorum titulo traducis. Ut itaque respu-
blica inter has opiniones etiamnūm fluctuet.

XLVII. Non tantū verò jure illo suo sacro verūm etiā
quod Cæsar sit Papæ vasallus, & omnia quæ Imperij Roma-
ni titulo veniunt feudum sint Papale, jurisdictionem arro-
gant sibi Pontifices in Cæsares nostros & omnem rempu-
blicam. Auditum autem primo omnium tale quidquam
fuit Friderico I. Cæsare: nisi malis ad Lotharij Saxonis
tempora originem referre, quod tum primum pictum e-
jusmodi quid sit in reipubl. ignominiam subscriptis illis
versiculis:

*Rex uenit ante fores, jurans prius Vrbis honores:
Mox homo fit Papa sumit quo dante coronam.*

Verūm Fridericus quidem aliam Papis confessionem ex-
torsit: tamen in Decretum Gratiani distinet. 63. irrepsit
tum nescio quod juramentum Ottonis *Tibi domino*; quod
Glossa appellat *juramentum fidelitatis*. Paulò post Inno-
centij III. capitulum *Per venerabilem scriptum est, quo in-*
quit: quod ius & auctoritas examinandi personam electam in
Regem Romanorum & promovendam ad Imperium, ad Papam spe-
rat qui eum inungit consecrat & coronat. A primo for-
tassis Henrico VII. expressis verbis *juramentum fidelitatis*
est postulatum: quod cum ille masculè recusaret prodijt
illa Clementina unica de *iurciurando*, reipublicæ maximè i-
gnominiosa. Longe majori importunitate ejusmodi quid
ausus est adversus Ludoy. IV. Ioannes XXII. Pontifex: cui
tamen fortiter tota respubl. restitit. Et sanè si verū est quod
dicit

dicit Papa necessariò con sequeretur Imperium in feudis
Papalibus esse numerandum, & Papam habere in Cæsarem
& rempubl. jus tamquam in suos vasallos. Verum enim
verò alibi iniqüitas illius Papalis conatus latè ostenditur.
Utque verum fuerit Imperium Romanum propriè ita di-
ctum feudum esse Papale, non tamen eapropter Papis de-
vinctum ita est vel Italicum regnum vel Germania, utpote
quæ sint liberæ respubl. ab Imperio Romano prorsus di-
stinctæ. Adeoque hoc quidem nomine nihil habuerit juris
Papa in Germaniæ regnum, de cuius judiciis nunc agimus.
Hinc in Cæsarum nostrorum excommunicationibus Pa-
pæ ipsi non hoc suum feudale jus solent urgere, sed illam
quam cælitus sibi credunt collatam omnipotentiam:
quam etiam ante sibi adscriperunt quam de dominio
feudali in Cæsarcis quidquam mutierint. Neque enim
verum est, quod contendit Grotius, ex hoc illam esse na-
tam: ut ex jam ante dictis manifestum est. Quicquid autem
sit, nemo Cæsarum vasallum sese agnovit Papæ, jam à Fer-
dinandi I ærate nemo vel obedientiæ sacramento sese vo-
luit Papis obstringere ad modū aliorum Regi, frustra con-
trahente Pontifica curia. Interim tamen negari nequit
in media Germania haberi & colli hodieq; à multis codicem
legum Papalium, non expunetissillis quæ in ignominiam
republicæ summa cum injuria perscripta esse diximus.

XLIIX. Verum quemadmodum habere paulatim
sese cæperit & nunc adeò sese habeat jurisdictione in ipsum
Regem satis est dictum; consequens est de PRINCIPIVM lai-
corum causis agere. Videtur autem in illis judicijs
aliquid quidem mansisse per omnia secula usque ad
institutam Cameram Cæsaream Spirensem, pristini moris,
aliquid verò mutatum. Mansit scilicet illud quod ejusmo-
di controversiæ nunquam fuerint permitti: unius regis

judicio, sed semper earum dijudicandarum potestas fuerit simul penes Ordines. Patet autem hoc triplici modo. *Primo* quod nullis monumentis memoretur aduersi aliquid unquam accidisse: *Secundo* quod in historijs nostris, que paulo clarioris controversia hujusmodi narrant, semper memoretur id observatum esse quod nos diximus: *Tertio* quod supersint in omnium seculorum scriptis testimonia quae demonstrant hoc ipsum non tantum ita tum observatum, sed etiam inter leges publicas fuisse habitum.

X L I X. Prius unicuius apparebit excutienti scripta ejus xvi. Alterum satis est si non nullis tantum exemplis nunc demonstremus. Cum Eberhardus magna auctoritatis Comes pacem publicam intestinis bellis fregisset ab Ottone Magno Cæsare non nisi in regni comitijs & accusatus & damnatus fuit, teste VVitichindo l. 2. Henricus III Cæsar Conradum Bavariæ Ducem itidem in comitijs Merseburgensibus ignorundam *Principum iudicio* Ducali dignitate exuit, ut scribit Hermannus Contractus in Chronico anno 1052. Hujus filius Henricus IV Ottonis Bavariæ Duci laesæ majestatis rei causam itidem non nisi in Comitijs regni agitavit. Lambertus Schafneburgensis scribit Ottonem jam citatum respondisse, paratum fese coram venire, & conditione quam *Principes regni æquam iudicassent* crimen cuius insinulatus fuerat, refellere. Ejusdem verba sunt: *Rex Principes Saxonie sententiam super eorogavit, qui cum tamquam manifesti criminis deprehensum reum maiestatis iudicaverunt.* Aventinus l. 5. Annal. narrat in Goslariensibus illis Comitijs Henricum Cæsarem primo legem Salicam de conjurationibus in Regem jussisse recitari, universos inde Principes jurisjurandi sui admonuisse, sententiamque de Ottone rogasse. *Omnes (inquit) insen-*
tenti-

sentiam legū pēdibus rōverunt : factum est Senatus consuleum :
Otto hosti iudicatus & proscriptus. Eodem Cæsare quum
Principes Saxoniæ rebellaissent, scribit Lambertus missos
ab illis legatos ad Cæsarem : Se iuxta iurisdictionem omnium
regni Principum de omni iniuria qua se Rex lasum diceret, pa-
ratos eind vōrum satisfacere, omnia, salvā modo vitā & liberta-
te, libenter passuros. His porro responsum à Cæsare : Se nec
eis nec cuiquam instantis satisfactionem de culpa proponenti veniam
negaturum : de tanto autem tamq. atroci negocio precipitanter
sententiam ferre nec velle nec debere, donec Principes regni in u-
num convenienter, in quorum communem ignominiam laſa regis
maiestatis iniuria redundaret, & quorum iam virtute bellum
transigendum quam consilio pax reparanda esset. Eodem tem-
pore scripsit ad Archiepiscopum Moguntinum Magde-
burgensis, adducere sese voluisse Principes quos Cæsar cre-
debat sibi inimicos : quatenus (inquit) uestro aliorumque
Principum iudicio vel in criminē deprehensi iusto supplicio subia-
serent, vel innocentes inventi vobis intercedentibus gratiam eius
reciperent. Item : Domino nostro legationem sicut humiles
servi sepè facimus, supplicantes ut nos in criminē depre-
hensos iudicio Principum palam damnaret, vel sine criminē
repertos gratiæ sue securitate donaret. Addit Lambe-
rthus in Comitijs regni consensisse in hoc omnes regni Princi-
pes, de usurpato in republ. hoc novo & multis retrō se-
culis inauditō facinore non aliter regi vel reipubl. posse fa-
tisfieri, quam ut se absque ulla exceptione dedant. Huic
verò Senatus consulto Saxones obtemperasse. Contige-
runt autem hæc seculo undecimo. Duodecimo sequente
seculo ab Henrico V. Cæsare proscriptus est Dux Lotha-
ringiæ, factum autem id in frequenti Principum con-
veniu, iudicio optimatum & consilij decreto uti loqui-
tur Vrspergensis. Conrado III. rege proscriptus est &

Hēnricus Superbus, verum *infrequentis senatu, & sententiā dicto*, *Principum* ut ait Aventinus l. 6. Henrici Leonis causam quoque non nisi in comitijs regni agitatam à Friderico I Cæsare, nec nisi de communi Principum sententia illum esse proscriptum, locupletissimè testantur omnes ejus rei historiæ. Idem Henricus supplex, à Cæsare cur non potuerit in integrum restitui, causam diserte hanc adducit Arnoldus Lubecensis l. 2. c. 29: *Non absq. consensu Principum Imperator restituere illum poterat, quem omnium consensuditionibus suis privarat.* Non multo ante ejusdem Henrici Leonis controversiam cum vitrico Henrico Bayaro, de Ducatu Bavariæ, Fridericus Cæsar decidit nō nisi in Comitijs regni & ex decreto Principum, vt narrat Otto Fisingensis *de gestis Friderici* l. 2. cap. 10. & post hunc ab alijs omnibus traditur. Tertio decimo seculo ab Ottone IV Cæsare proscriptus est Otto V Withelsbachius cum alijs complicibus, verum & hoc ad voluntatem omnium & i Comitijs regni factum scribit Arnoldus. Hujus successor Fridericus II. Cæsar dñmavit filium, at non nisi *ex sententia septuaginta Principum* in Comitijs teste Aventino l. 7. Annal. Eodem Cæsare in Italia absente, Ottонem Bavariæ Ducem majestatis læse reum Principes Imperii statuerunt, teste *cod. l. c.* Vbi notandum, quæ haec tenus narravimus accidisse maximè apud nos florentibus Regum rebus. Multò minus ergo ab eo discessum fracta Cæsarum auctoritate post longum illud & perniciosum interregnum. Negotium Ottocari Bohemiæ regis non uni Rudolpho Cæsari sed simul & *Principum senatus* impermissum est scribente Gerardo de Roo l. 2. hisp. Austr. Idem Cæsar Austriam aliasque provincias repetente Bayaro, *Senatu Imperij convocato retulit quid fieri placeret de bisce provincijs:* ex Senatus consulto & Consilij decreto igitur Austriam ac Stiriam filiis suis, Carnos Liburnos Istros

Tirolis

Tirolis Principi concessit, teste Aventino l.7. Adolphus Cæsar anno 1296 Noricorum Ducis filios proscriptis sed in concilio atq; ex sententia Principū, eodem Aventino teste. Seculo decimo quarto Henricus VII, contra Bohemum promulgavit decretum itidem ex sententia Principum ut Patrium curiæ, quod est apud Goldastum parte als. Reichsatz.

p. 29. Carolus IV controversiam de Electorali dignitate inter Palatinum & Bavarum non nisi in confessu omnium Electorum decidit. Rescripti Cæsarij hæc verba sunt:
Ist mit allen Churfürsten Geistlichen vnd Weltlichen / vnd sie mit ihme mit gemeinen Raht / einmütiglich zu Raht worden vnd übereinkommen. Seculo XVto hujus filius Sigismundus Imperator sententiam in Ludovicum Bavariae Ducem ut hostem reipublicæ dicturus, ex Senatus decreto id efficere voluit, teste Aventino l.7. Cum Friderici Austriaci ope Ioannes Papa à concilio Constantiensi sese subduxisset anno 1415, nec ad causam dicendam vocatus Dux comparuisse, publico Princepum judicio condemnatus est scribente Hulderico Mutio l.27. Chron. Germ. Cum controverterent inter sese Henricus & Ludovicus Palatini, Sigismundus Cæsar ist zu gericht gesessen vnd bey ihm etwa viel seine vnd des Reichs Geistliche vnd Weltliche Fürsten / quæ verba sunt sententiæ latæ Constantiæ 1417. Idem Cæsar litem inter Ducem Bergensem & Archiepiscopum Colonensem de novo ad Rhenum vectigali exortam decidit *assumptis in consilium multis Episcopis, Principibus, & alijs optimatibus.* Idem Cæsar sententiam patris Caroli de Palatio Electoratu, tam Ecclesiasticorum quam secularium Principum Sacri Romani Imperij Electorum consilio & consensu accedente, aliorum etiam Principum plurimorum Ecclesiasticorum & secularium Baronum nobilium & Procerum suorum ac Sacri Imperij fidelium, naturè communicato consilio, confirmavit: ut loquitur ipsa Bul-

Ia Cæsar's apud Goldastum. Idem Cæsar contentionem
Erici Lavvenburgici & Friderici Misnensis de Electorali
Saxonie dignitate itidem non nisi in conventu Electorum
decidit. Anno 1440 Ludovico Bayariae Duci cum filio
litigaturo respondit in hæc verba Cæsar Fridericus III:
Wir wollen die Sache mit sampt vnsfern vnd des Reichs Churz
fürsten vnd andern Fürsten für vns nehmen / vnd euch zu beya-
dersets mit der Freundschaft oder mit dem Rechten entscheis-
den.

L. Ex hisce omnibus utiq; manifestò liquet, verum
esse quod diximus: saltē ad Maximiliani tempora contro-
versias Principum in Principū concilio coram Rege aut Cæ-
sare vel agitatas vel decisas vulgo esse: ut vel hoc modo non
liceat dubitare lege publica id ita fuisse constitutum. Pos-
sunt tamen illius legis & alia indicia adferri in medium.
Ottonis Frisingensis de Vngarorum rege l. i. de gestis Fri-
derici I c. 31. hæc verba sunt: *Quod si aliquis ex Comitum or-
dine Regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoq;
non iustè infamatus fuerit, quilibet infimæ conditionis lixa à cu-
ria missus eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit,
in vinculis ponit, ad diversa tormentorum genera trahit. Nulla
sententia à Princepe, sicut apud nos moris est, per Pares suos expo-
scitur, sed sola voluntas Principis apud omnes proratione habetur.*
Ergo Ottone teste Cæsar tum sententiam non tulit de Co-
mitibus & Ducibus nisi de consensu Principum h. e. de
consensu Ducum & Comitum: hi soli enim Ducibus &
Comitibus sunt Pares. Et verò hoc obtinuit tum tem-
poris in omnibus negotiis feudalibus; qua de re omnino
legenda constitutio Conradi Imperator. l. s. feud. Lango-
bardii. In Friderici II Cæsar's constitutione anno 1236
in Comitijs regni frequentissimis lata hæc verba leguntur
c. 24. *Dass der Hoffrichter solle die leute richten die ihm klagen*
von

von allen Leuten/ohne Fürsten vñ andere hoge Leute/ wo es ges-
het an ihsren Leibe/ oder an ihs Recht/ oder an ihs Erbe/ oder an
ihs Ehre/ dasz wollen wir selber richten. Eadem verba ha-
bentur in constitutione Rudolphi I. lata anno 1287 quæ
legitur apud Lehman. *I. V. Chronic Spirens. c. 108.* Alberti
I. apud Goldastum p. 2. Reichssatz, p. 27. Vnde liquet se-
culo decimo tertio etiam scripta lege regia à judicandis
causis Principum aulae Cæsareæ palatinum judicium fuisse
seclusum & ad ipsum met Cæsarem hasce causas delatas esse.
Quamquam vero verba legis nullam mentionem faciant
Ordinum sed solius Cæsaris, non tamen hos quis credat
exclusos, utpote quum judiciorum ordo revocatus tūm
sit ad morem priscum, qui qualis fuerit; audivimus. Anno
1408 in tabulis pacti inter Ioannem & Ludovicum Bava-
ros inquit Ioannes: Das sein Vater bey vns rechtens nicht
bekommen mög vmb sein väterlich erbe oder durch andere sprüche/
dann durch den Römischen König vnd vor den Fürsten da solche
Sachen billig für gehören. Ejusdem seculi anno 17 oborta
lite inter Ludovicum & Henricum Palatinos, quorum ille
causa in suam volebat judicio Ecclesiastico decidi, re cum
Principibus communicata testatur Cæsar Sigismundus sic
pronunciatum. Hierauß war nach vnserer Frage von den
Fürsten allen einhelliglich zum Rechten gesprochen / nach dem
vnd wir hier in Teutsch Landen zum rechten fessen / als ein
Römischer König / vnd Herzog Ludowig vnd Herzog Hein-
rich vorgenante beide teutsche Fürsten weren vnd zum Reich ges-
hörende / vnd die Sache Teutsch vnd vmb des Reichs Lehne
were/die in Teutschen Landen gelegen waren/vnd wir men bey-
derseits ein Teutsch Recht mit Teutschen Fürsten besetz hetten/
vnd beyde Theil mit Teutschen Fürsprechen fürgestanden/vnd
ihr Sache nach Teutschen Rechtns gewonheit fürgelget het-
ten/ so sprechen sie zum Rechten / was seglicher Theil fürgelgen
wolte

wolte es wære Brieffe worte oder andere redliche Kundschafften,
daz er das in Deutschen vnd nach Deutschen Rechtiens gewon-
heit durch seinen Fürsprecher thun vnd fürlegen solte. Cum
Ericus Lavvenburgicus Fridericum Misnensem super Elec-
torali dignitate in judicium ad Concilium Basiliense tra-
here niteretur, idem Sigismundus Cæsar in hæc verba ad
Patres Concilij illius anno 1434. rescriptit: Cum Principa-
tus officium ac ius supra dicta à nobis ac Imperio nostro in feudum
immediatè descendant, ac secundum juris communis dispositionem,
nec non usum, morem, stilo & consuetudinem sacri Romani Im-
perij, feudalis contentio per Dominum feudi, ac Pares curia ter-
minanda sit; liquet, hanc questionem, si qua prætendi poterit, ad
nostram & illustrium Archiprincipum nostrorum sacri Romani
Imperij Electorum pertinere notionem. Item: Nos eidem Erico
semper ultraneos præbuimus iustitia complementum ministrare
legitimè, quod aliter expediri nequit, nisi Parium nostra Curia
arbitrio, respectu feudi memorati. Quos utique Pares, legiti-
mè requisisti, prompti sumus, more Imperialis Maiestatis intrasines
Alemannia vocare, ubi de causis & questionibus Principum Ale-
mannia ex stilo Imperij nos convenire indicare. Item: Quam
insuper protestationem sacra Basil. Synodo intimare curabimus,
ac ipsam requirere, quatenus causam ipsam à se penitus abdicet, &
ad forum nostrum remittat, more, stilo, & consuetudine Imperij
nostrri & Parium Curie nostra terminandam. Hujus successor
Fridericus III Henrico Bavarо opinanti sese citatum ad ju-
dicium aulicum vulgare, respondit anno 1448: So ist
doch vnser Meinung nicht gewesen/vnd noch vnserre Meinung
nicht/ das solch Recht in unserm Kammergericht/ das wir mit
den Personen/ wann Fürsten vnd vmb Sachen die vnser vnd
des Reichs Fürsten Ehre Leib oder Leben nicht betreten/ be-
sezen/ zwischen euch sol oder sollte aufgetragen werden.

LI. Nullum

LI. Nullum itaque dubium est antiquissimum il-
lum morem Germanicum, quique etiam sub Carolina fa-
milia observatus est, de Principum causis non nisi de sen-
tentia Principum ejusdem ordinis judicandis, usq; ad Ma-
ximilianum Cæsarem, servatum integrum. Quod eò mi-
nus quis mirabitur quò certius est etiam in Occidentali
Francorum regno diu idem obtinuisse. Namque & ibi
non tantum in primario quovis feudo certus vasallorum numer-
rus qui Pares aus Liberi Feudales dicebantur, curiam domini sui
colentes, & de feudalibus causis iudicantes, (verba sunt Tilius
& de reb. Gallicis) verum etiam in ipsis Regni negotiis Pares
aliqui constituti sunt. Non ferebat nobilitas (inquit Tilius)
de feudis ab ignobili ullo iudicari. In confessu Biturigum iudicia
siebant civibus & equitibus Septimaria, affentibus quatuor è
summo templo & binis ex aliis canobis cum Abbatibus. Nec tamen
voluit Sanserranus Comes in eo confessu iudicari, quia cives per-
mixti erant, dicens Baronatus causam non aliorum iudicio quam
nobilium terminandam esse. Item : Hec iudiciorum ratio, ut de
causis feudalibus iudicent feudates Pares, in Gallia est per antiqua.
Et verò ne in Galliis quidē arbitror id mutatum, antequam
Parlementorum que appellantur potestas coepit novo
more sese efferre. Neq; enim abs re est quod scribit Hoto-
mannus Francogall. c. xii. per illa iudicia omnem Ordinum
vim atq; auctoritatem à Capetanis regibus conculcatam.

LII. Cæterum hæc obiter. Iudicia verò illa Princi-
pum etiam hoc ex prisco ævo ad eundem Maximilianum
usque traxerunt, quod causæ quamvis maximæ in judicijs
illis citò finem consecutæ sint, quodque simplici ratione
& ex æquo ac bono Principum conventus illas deciderit.
Neq; verò aliter fieri potuit, utpote cum Principes procul-
essent ab ingenio rabulario, & ipsimet præsentes causas suas
per procuratorem proponerent, & judiciis una cum Cæ-
sare

sare præsiderent. Et verò infinitis pene exemplis demon-
strare est gravissimas Principum controversias, uno alte-
ro aut tertio conventu judiciali intra breve temporis spa-
tium decisas esse. Cum voluptate & summo cōmodo
quis legat in huius rei accuratam notitiam, saltem Henrici
VII contra Henricum Bohemiæ regem anno 1310, & Ca-
roli IV in causa Ruperti Palatini anno 1353. editum de-
cretum, quorum utrumque extat apud Goldastum p. 2.
Reichsaßung. p. 29. & 42. Sigismundi itē sententiam alteram
Constantiae 1417. alteram Noribergæ latam 1431 apud
auctorem *Informat. in negocio Donavverdensi.*

L III. Et hæc quidem remanserunt usque ad Maxi-
milianum. In nonnullis tamen judicia illa à priscis mori-
bus multū recesserunt. Primum enim cum familiae in-
tegræ aliquot Principum, tum Principum alij nonnulli, ar-
bitraria sibi cæperunt judicia constituere, non attenta Re-
gum sententia: quæ hodieque Austrege / aut gewilfürte Au-
strege nuncupantur. Origo rei in obscurō est. Fortassis
tamen meritò illam retuleris in longum illud interregnum
seculi 1111 & ultimos Friderici II Cæsaris annos. Namque
omni illo tempore nulla fuerunt judicia publica neque po-
tuerunt non interea controversia inter Principes oriri.
Sed & post interregnum usque ad Maximilianum ea fuit
Cæsarum inbecillitas, ut Principum multi ab eorum judi-
cijs causas suas suspendere noluerint. Rara quoque ex eo
fuerunt regni comitia, sèpè etiam satis diu Cæsarea digni-
tas penes quem esset incertum fuit, contendentibus inter
se de illa dignitate haud paucis ante Carolinam Bullam:
ut proinde tam turbulentio reipubl. statu etiam coacti fue-
rint nonnulli Principes alia sibi judicia quærere. Certè
hisce temporibus inductæ sunt & civitates multæ in simili-
tudine judicia conjurare ut post dicemus. Nequaquam sane
audien-

audiendi sunt qui ejusmodi iudicia Maximiliano demurunt
auctori adscribunt. Et si enim ille novam aliquam formam
judiciis illis dederit primus, quae nunc magis in usu est:
disertè tamen in Const. caracrali anno 1495. scribitur:
Welche sonderliche gewirkte rechtliche Anstrege gegen einan-
der haben / die sollen sie sich laut dero selben gegen einander ge-
brauchen.

LIV. Adhuc magis ab ætatis Carolinæ moribus in
eo recessum est, quod plurimæ Principum controversiæ &
causæ sensim non tam judicijs illis, quam armis & bellis
fuerint agitatæ: iudicatum quoque pauci solverint nisi vi
& armis reipubl. coacti. Cœpit autem utrumque statim
ex quo Germanicæ provinciæ fuere Ducibus commissæ,
Comitatus quoque & Ducatus tantum non merè heredi-
tarij sunt facti. Ex eo enim munimenta & arces in Ger-
mania plurimæ à singulis Principibus, Comitibus & alijs
exstrui cœperunt, & domi aucta est singulorū potentia, usq;
adeò, ut yiribus suis freti æqua iudicia amplius vix admit-
terent. Cum primis vero id invaluit post labefactatam
per Hildebrandum regiam potestatem, multò ma-
gis vero ab ætate Friderici II Cæsaris: cum quo Regia
auctoritas tantum non tota concidit. Loquuntur sanè
Historiæ Germanicæ jam à multis seculis pene nihil aliud
quam bella civilia Principum, summo argomento contem-
ptæ iudiciorum auctoritatis.

LV. Non minus illud quoque novum est quod in
Reges ac Cæsares nostros ita & in Principes seculares pro-
fanorum negotiorum causâ jurisdictionem aliquam Papæ
cœperint exercere. Sensim id ortum est, postquam Hil-
debrando auctore in immensum auctoritas Papalis excre-
vit. Ex eo enim in Principes illos non minus atque in Cæ-
sares excommunicationis fulmen ad causas prorsus alie-

nas, ut & effectus antehac inauditos translatum est. Præterea verò & alijs occultis artibus tractæ sunt Principum causæ ad forum Papale, quarum meminait jam Fridericus II Cæsar in epistola ad proceres & populum Galliæ, quam suis pro patre Guilielmo *Vindicij contra Bellarminum* inseruit Ioannes Barclajus in epilogo. Recensens enim illas injurias quibus sese & alios Principes atque Reges credebat Cæsar iniquè affectos, mox addit. *Quodque questione sive dissensione, inter dominos & vasallos seu inter duos nobiles & vicinos in vicem contendentes, prout aſſolet, emergente, predicti summi Pontifices ad petitionem unius partis tantummodo partes suas temporaliter interponunt, volendo ipſos invitatos in ſe compromittere, vel aliter ad concordiam coereere: & alligando ſe fidelibus contra dominos, aut uni de partibus supradictis, quod non prius pacem cum aliis faciant, quam alligatos ſibi ponant in pace recipiendo similiter promiſionem de non faciendo pacem cum dominis & vasallis.* Item in eo quod predicti i summi Pontifices, in *prædictum iurisdictionis, & honoris, Regum, & Principum predictorum, ad petitionem Clericorum, seu Laicorum, cognitionem cauſarum de rebus temporalibus, poſſeſſionibus feudalibus, seu burgenſaliois, in Ecclesiastico foro tractandas recipiunt, & committunt.* Hæc Cæsar. Durasse verò illas artes illamque iniquitatem etiam ad Maximiliani Cæſaris ævum, adeo que per multa ſecula, manifestum fit ex Gravaminibus ſecularium Principum Carolo V Cæſare in comitijs Noribergensibus Adriano Papæ transmissis. Nonnunquam ejusmodi quid factum est & ipsorum Principum culpā verentium ne in Cæſareo judicio cauſa caderent, ut liquet exemplis Ludovici Palatini & Erici Lavvenburgici n. 5 o. commemoratis.

L VI. Atque hæc quidem ita contigerunt. Non difficile autem est dictu etiam quare in hunc modum omnia evenierint, perpendentibus post regiam dignitatem & potentiam

tentiam collabentem, ex adverso incremente magis magisque Principum aliorumq; Ordinum vim domesticam, quam parum habita fuerit ratio publici boni per multa secula, quamvè fuerit exigua Cæsarum existimatio. Tantum nempe absuit ut per Cæsares potuerit delibari quæ ab antiquo Principibus competit libertas, (cujus haud levis pars fuit illa quæ de nunc agimus judiciorum ratio) ut Cæsaribus nihil reluctantibus aut paru, potentiores quiq; Principum omnia judicia quasi everterint bello & armis, sibi quidvis pro lubitu vindicantes; alij in arbitraria judicia consenserint non implorata auctoritate reipublicæ. Quorum ut nihil ferendū est in republica bene constituta, ita nec in Germania contigisset unquam, si reipublicæ, ut olim, sua auctoritas & vis mansisset salva. Eodem vitio porrò nutrita est Pontificum Romanorum audacia. Quid enim non audeant arrogantia atq; ambitio, curiæ Papalis dotes perpetuæ, in republ. tot modis scissâ & lacerâ, si præser-
tim superstitione animi ad improbum obsequium flectantur? Ex hoc fonte sanè manasse istud malum, argumento est certissimo, reipublicæ status ille qui adhuc Friderico II Cæsare superfuit, utut & ille multum mutaverit à pristino. Neq; enim horum quæ jam commemoravimus quicquam prisco illo ævo contigisse legeris.

LVII. Quamvis autem hactenus ita sese hæc habuerint, Maximiliani tamen, Caroli V, & sequente ætate multum mutaverunt. Ut enim *primum* attingamus Papales conatus, non facile quidem illi desierunt, (ut pertinax est curiæ illius improbitas) dixeris tamen hodiè fortassis illos è medio sublatos esse. Quæ felicitas reipublicæ Protestantibus unicè, vel certè potissimum, ferenda est accepta. Nam quod etiam antehac factum diximus, Maximilianus quidè haud temere permisit Principum laicorum causas ad judi-

cium curiæ Romani trahi, quemadmodum liquet etiam ex
rescripto ad Ordines Imperij anno 1505. cuius verba sunt:
Wir geben euch zuvernehmen/ daß wir den Probst Dechant
vnd Capittel des Thumstiftes zu Trier gebeten haben / die
Rechtfertigung/ damit sie dem Edlen vnsfern vnd des Reichs
lieben getrewen Philips Graven zu Firneburg zu Rom fürges-
nommen/ abzustellen vnd sich gebürlichen Rechtes vor vns
oder vnsrer vnd des heiligen Reichs Cammerrichtern/ als seinem
ordentlichen Gericht begnügen zu lassen: Tamen ex quere-
lis aut Gravaminibus ut vocant Principum laicorum Ger-
maniae ex comitijs Noribergensisibus curiæ Papali trans-
missorum anno 1522. manifestum est, quantum ausi fue-
rint hac in re etiam tum Pontifices. Omnidò meren-
tur legi gravamina (ceu appellantur) nonum , deci-
mum , undecimum & duodecimum. Nec verò desit
isthæc iniquitas antequam Laici Principes Protestantes ut
in alijs & in hisce negotijs Papali tyrannidi colla tandem
subduxerunt. Quorum cùm numerus sit per Germaniam
major nec levis potentia, fortassis ex eo jam & reliqui Pro-
testantium partibus haud adscripti, vel ab ipsa Papali curiâ
cæperunt mitius haberi atque æquius, aut verò ipsimet illi
Principes libertati suæ aliorum exemplo rectius caverunt.

LVIII. Magno etiam Germaniæ bono factum secundò
est, ut sublatâ Principum illa ~~Christodina~~, ab eo usque tem-
pore controversiæ legitimis judicijs passim commissæ sint.
Quamvis enim inveteratum malum, publica reipublicæ
impotentia, at singulorum Ordinum domi constituto
robore subnixum, non ex voto potuerit eradicari, atta-
men & rectius quam antehac aliquot seculis in judicia à
Principibus consensum , & per bonas leges bellicis illis
motibus obviam itum est. Causam, quâ impulsi multi
Principum ferociæ pristinæ non nihil remiserunt, fortassis
haud

haud immerito dixeris Vrbium Germanicarum vires, ut in
mula Principibus ita suppare, illa Maximiliani tempestate.
Neq; verò belligerantibus pro exspectatione fructus cede-
bat, quod à nummis minus valerent, & munimenta potis-
sima in potestate essent oppidanorum, valde pro incre-
mento libertatis suæ laborantium. Ad hoc non potuit
non prudentiores & æquiores quoque Principum tedium
capere tot bellorum civilium, quibus per aliquot centum
annos miserè Germania omnis hic alibi eversa est. Flexi
indubie ad humaniora hæc instituta Principum animi haud
leviter fuerunt per Romani atque Canonicī juris peritos,
qui à Maximiliani ætate consiliis reipublicæ passim per
Germaniam sunt admoti: in aulis Principum antea re-
gnantibus penè solis illiteratis ac militaris ordinis ho-
minibus. Ut solet respublica se habere ad ingenium re-
gentium.

LIX. *Tertium id quoque planè novo more cœpit,*
quod ipsi met Principes aut Cæsar ipse met non amplius va-
cent dijūdicandis controversijs suis ut antehac, sed o-
mnem hanc curam in Romanarum legem peritos, plebeij
licet generis, ministros suos soleant rejicere. Cui rei mos
patrius ab omni retro ævo hacenus servatus plurimum
adversatur. Non potuit verò non hoc obtinere ex quo
pro legibus patrijs Romanæ atque Pontificiæ in Germania
invaluerunt: quod ab ætate usq; Maximiliani quam maxi-
mè cœpit. Neque verò fieri temerè poterit ut Principes
ipsi Romanum & Canonicum jus addiscant, quæ hujus
doctrinæ est prolixitas, & aulicæ educationis indulgentia.
Ut taceam ingeniourū quæ nonnunquam est ruditatem, &
alia studia, ad quæ cum Principes omnino debeant institui,
præripitur tempus addiscendo juri Romano impenden-
dum. Igitur ex quo non potuit in Principibus esse juris pe-
ritia,

ritia, ex eo coacti quoque ijdem sunt iudicia etiam maxima alijs committere. Secus quam antehac solitum, cum leges & consuetudines patrias nemo paulo intelligentior ignoraret, & pleraque ex æquo & bono componerentur.

LX. Huic rei consequens est *quarta* mutatio circa diuturnitatem litium. Namque multum profecto lites illæ Principum solito factæ sunt diurniores, ex quo per alios & coram alijs quam qui sunt sui ordinis litigare cœperunt. Quod ipsum ex parte accidit quasi necessitate quædam, partim vi novarum legum, partim denique malitia causidicorum. Fieri etenim non potest, ut qui ministerio funguntur, possint perinde atque Principes ipsimet finire controversias: quippe quibus circumscripta varijs modis est agendi potestas, quæ in Principum litigantium ipsorummet liberrimo est arbitratu. Illud quoq; ferè est ingenium aulæ, ut qui cupiditati subservit dominantium primo loco sit, certè sit acceptior illo qui æqua consulit & moderata. Hinc adiunguntur ministri tamquam vi quadam, ne gratiâ excidant, ut non tâ quæ sunt æqua suadeant ac ve-
lent, quam illa quæ placent quamvis improbis dominorum affectibus. Atqui æquitatis & moderationis via interclusâ necessum est justo longius lites protrahi. Porro unâ cum legibus Romanis, simul etiam ea in foro procedendi ratio, quæ Papali curiæ laudatur, opinionem accepit in Germania eximiæ prudentiæ pariter & æquitatis: eoq; ut ad alias ita & ad Principum controversias ceptam illam ad moveri nō est mirum. Est autem illa prolixa admodū, & plurimum à pri-
scâ tot seculis recepta simplicitate diversa. Iam vero constat quoque cum aliunde tûm ex querelis Ordinum Imperij publicis, jam tûm seculo quintodecimo effusis, eo tem-
pore quo leges Romanæ ceperunt pedem in Germaniam in-
ferre, artis rabulariæ quoque sparsam in mores nostros
semen-

Sementem, uberrima fruge brevi divitem, ut ne caveri
quidem potuerit quin & in Principum lites frequenter di-
spergerent se pessimæ radicis surculi. Enim verò nonnun-
quam à sola illa mala arte ut vulgo alias ita & Principum
controversias maximas penè in infinitum protractas esse,
nemo Germanicarum rerum peritior negaverit.

LXI. *Quinta* mutatio contigit circa arbitraria judi-
cia, quæ à nonnullis Principum fuisse constituta supra dixi-
mus. Est autem illa non uniusmodi. Quum enim antehac
non nisi apud paucos fortassis illa obtinuissent, nec tam
auctoritate reipublicæ quam ex Principum quorundam
privato instituto; quando Maximiliano Cæsare nova
judiciorum ratio institueretur, & Principes quidem judica-
rent sua interesse ut arbitraria judicia perirent, Cæsar verò
restitutam non nihil vellet suam, quam in summis illis cau-
sis dijudicandis obtinuerat quandam auctoritatem, pla-
cuit ut omnes Principum causæ, siquidem reus ita velit, co-
ram arbitrariis judicibus à Cæsare in id confirmatis
agerentur: data tamen veria appellandi à sententia ad sum-
mum judicium quod appellant Camerale. Itaque & le-
ges multæ sunt conscriptæ de judiciis illis arbitrarijs, quæ
semigermanica voce vulgò austregæ nuncupantur. Neq;
enim Principes primarij & illi quos Comites aut Barones
dicimus, eandem usurpant rationem Austregarum. Imo
alia illa est atque alia, prout actor est aut summi aut mediij
aut infimi ordinis aliquis. Qua de re legenda *ordinatio
Cameræ parte 2. tit. 2. & seqq.* ne alia nunc laudem in testimo-
nium Comitiorum decreta.

LXII. Quamvis verò hoc modo possint videri
Principes more antiquo experiri coram sui ordinis judici-
bus, reapse tamen nihil tale fit; quod illi qui arbitrarij judi-
ces sunt lecti soleant delegare judicium suis ministris;

H

Porrò

Porro et si initio omnes Principum causa ad Austregas sint
delatae, tamen postea placuit coram hoc judicio non expe-
rii circa omnes controversias, sed pleraque negotia sta-
tim ad Cameram referre. Enumerantur illa parte secun-
da Ordinationis cameralis hoc ordine: Causæ fraciæ pa-
cis, causæ fiscales, causæ de constitutione religiosa, litigio-
sa possessionis, pignorationum, mandatorum sine clausu-
la, relaxationis ad effectum agendi, legis diffamari, dene-
gatae vel protractæ justitiæ, appellationum denique omnes
causa haçtenus coram austregis non agitari solita. Quo
ipso liquet Austregis paucissima negotia relictæ esse. No-
tandum præterea, definitum esse legibus, ut judicium Au-
stregæ intra sepestre, aut annale tempus finiatur quo sp-
acio (ut nunc sunt mores) lites paulo majoris momenti non
possunt, certè non solent, expediri. Itaque etiam hoc mo-
do sit ut judicium illud parum usus habeat. Accedit ul-
terius, magnis sumptibus judicium illud constare ob mu-
nera in ministros judicantium Principum ex more confe-
renda. Ut adeò in universum Austregarum judicium ex-
pendens vix possit aliter judicare, quā vel nihil vel admodū
parū reipublicæ prodesse. Et vero falsum est quod nonnulli
ajunt, institutum hoc judicium quo etiā Principes habeant
in suis negotiis multas instantias forenses, quoniam ple-
raq; negotia etiam lege publica illi judicio sunt subducta.

LXIII. Hinc sexto etiam hoc jam est novo more
introductum, ut tametsi Principes in prima instantia co-
ram austregis experiantur, ferè nunquam ibi componan-
tur controversiae, sed cum aliis tūm per appellationem ad
Cameram Spirensim aut etiam ad judicium aulicū Cæsaris
trahantur. Quod sane multū abit à pristinis moribus. Neq;
enim legas temere, controversiā aliquā Principū ab arbitra-
riis judiciis illi translata olim fuisse ad judicium Cæsareum.

Multò

Multò minus legas talem aliquam controversiam agitata
tam coram illo Cæsaris judicio quod Assessores habet, qui
non tantum non sunt Principes Germanici, sed sàpè tan-
tum plebeij generis, imò ne quidem Principum auctorita-
te constituti, quales tamen sunt Assessores Cameræ Spiren-
sis. Observandū præterea est; quod legibus publicis & con-
sensu omniū Ordinum sit quidē constitutū illud de Princi-
pum causis vel statim in prima instantia vel per provocatio-
nem ad judicium Camerale deferendis; de ijsdem autem Au-
lico Cæsaris tribunalis commitrendis nunquam quicquam
in Comitijs lege sit decretum. Ut itaque hoc posterius
nisi tantum consuetudine quadam possit videri. Et sane
multum hac de re tanguam minus legibus consentaneā
conquesti sunt tum alij tūm omnes illi qui in foedus Corre-
spondentiae quod appellarunt fuere uniti.

L X I V . Nova quoque *septimo* est illa, quam leges
definiunt latas sententias exequendi ratio, si partes no-
nint ijs ultrò obtemperare. Actum de eâ primo o-
mnium est in Coloniensisbus comitiis anno seculi superi-
oris duodecimo, & post in sequentibus multis. Visum
verò est expedire, si, in decem circulos distributa Germa-
niā, cuilibet exequendi illa auctoritas deferatur. Huc fa-
ciunt Comitorum Colonensis ann. 1512. paragraphus.
Und ob iemand: VVormatiensium anno 21. s. Ob aber zu
frischer That. Anno 22. So zu frischer That. &c. Hinc in
singulis circulis leges postea latæ sunt de modo executio-
num; quænum perinde omnes reipublicæ expediāt haud
abs re fortassis quis dubitet. Cæterum nec adferre huc
licet illas, nec heic sub examen vocare, ob multitudinem &
varietatem. Quamvis verò hæc ita sint definita, attamen
legibus illis sese non teneri Cæsarum nonnulli sunt profes-
si. Sic jam anno 1607 Rudolphus Cæsar rescribi fecit:

Dass ihre Maß. weder an des Reichs Executions Ordnung
oder Kreis verfassung/ noch sonst dahin gebunden sein/ das
zu Exequirung der Kar. Urtheil sonst kein Mittel vorge-
nommen werden möge / dann allein mit desjenigen Kreis
Obristen zu thun/ darunter die condemnirte gesessen/ son-
der sie hetten zu erhaltung Rechthens auch wol auff andere weis
in alweg zuschliessen. Idem Cæsar proscriptioñem Dona-
vvertensis urbis non per Suevici circuli Ordines sed per
Bavaricæ Ducem executioni mandavit. Ex adverso tamen
hoc tamquam injuriosum reipubl. & iniquum multi Prin-
cipum proclamarunt. An vero nunchæc res sit compo-
sita satis, dubito. Ut proinde in tam magni momentine
gotio videatur respubl. fluctuare.

LXV. Praet alijs maximi ponderis est mutatio *septimæ*
quod nempe Cæsares à centum jam annis cæperint de
Principum feudalibus bonis maximis imo vita & omni for-
tuna decernere, nō tantum non auditâ aliorum Principum
ut Parium curiæ sententia, sed ne quidem in judicio ali-
quo per Principum delegatos constituto. Sic Carolus V
Ioannem Fridericum Saxonem & Philippum Landgra-
vium proscripsit, illum *captum* etiam capitis damnavit.
Idem anno 1543 solus decidit litem inter Landgravium
& Nassovicæ Comitem de ditione Cattorum, quæ sententia
tamen post est rescissa. Utque exempla similia non ex-
tent Cæsare Ferdinando I & Maximiliano II, Rudolphus ta-
men in turbis Argentoratensis anno 1602 intentavit
proscriptionis fulmen Christiano Holsatiæ Duci Argento-
ratensis Episcopatus vice decano, in causâ Iuliacensi alijs
Principibus potissimi ordinis idem est minitatus, causâ illâ,
quæ vertebaratur circa Ducatus hos & multos Comitatus ad
sui unius iudicium trahens. Neque vero non etiam à Prin-
cipibus aliquot est hoc probatum. Etsi enim Vniti, qui
appel-

appellantur, ad priscam consuetudinem provocare, agnovit tamen hoc solitarium summum Cæsaris judicium Christianus II Elector, agnoverunt qui Pragæ aderant anno 1610 Principes Germanici magnæ auctoritatis, nisi quod consultum crederent ut Cæsar removendæ invidiæ ergo etiam Principes aliquot in consilium vocaret. Neque Cæsar admisit Principes judicij Pares nisi hac addita expressa cautela: *Das sich sonsten auff diesen solchen Fall niemand zu berussen oder solches in consequentiam zu ziehen habe.* Porro etiam anno 1613. in ipsis Comitijs Ratisbonensisibus rejecta fuit Hassi Casselensis adversus Haslum Darmstadensem petitio de Principibus judicio assessoribus dandis in controversia de Marburgensi ditione, litis contestatione partibus injuncta coram uno Cæsare: ut & solus Cæsar Ferdinandus II tulit sententiam 1623 Kalendas Aprilis. Iam ante illum in negotio de Grubenhagensi ditione solus Matthias pronunciaverat: & ipse Ferdinandus anno 1622 tulerat sententiam in causa heredum Edovvardi Fortunati contra Georgium Fridericum Marchionem Badensem, rejecta appellatione quam is à Cæsare malè informato ad eundem melius informandum & ad Imperij ordines oppuerat. Ab eodem porro felicis memoria Cæsare Ferdinandodo solo multos Principes proscriptos & omnibus fortunis suis exutos esse, alijs vicissim in gratiam itidem solo ipsius nutu receptis, notum in vulgus est. Nec tamen ab Ordinibus regni querelas temere audias fusas esse violatae hoc ipso suæ libertatis. Ut proinde judicia illa jam quidem sint tantum non ~~principatus~~ quæ antè aristocraticum regimen sapiebant. Quomodo hodieque sese habent judicia de capite & omnibus fortunis Nobilium Ordinum in Dania ac Polonia: ut quæ ad sola Comitia pertineant. Publica Ordinum omnium lege mutatum esse pristinum morem nescio

an liceat affirmare. Nam quod parte 2. ordinat. Cameral. tit. q.
scribitur, Cæsari reservatum judicium lite orta de Principi-
bus, id possit accipi ex usu veteris formulæ: eodem e-
nī modo loquuti jam olim sunt Cæsares nec tamen
inquam exclusi à judiciis illis Pares curiæ h. e. Prin-
cipes ipsi; quasi nihil aliud significetur, quam ad judicium
aulicum aut Camerale, constitutum ex personis infra digni-
tatem Principum positis, non pertineant lites de Principi-
bus, sed ad Cæsarem ac curiæ Pares. Quemadmodum
illa verba jam interpretati sumus n. 50. Sanè alias causas
introducti novi illius moris reddere fortassis haud fuerit
in difficulti.

LXVI. Verum de judicijs Principum secularium
satis. Iudicia attinentia Episcoporum ac Metropolitano-
rum causas personales plurimum quoq; à Carolinis insti-
tutis discesserunt. Scilicet prætextu Sardicensis canonis
causa tantum non ejusmodi omnes singulari artificio ad
se traxerunt Romani Papæ, summa cum injuria & totius
reipublicæ pariter & singulatim metropolitanorum, ut
potè qui tandem ferè ab omnibus hujusmodi judicijs fue-
re seclusi, non sine Episcoporum demum aliorumque litigian-
tium maximo incommodo, quod procul extra pro-
vinciam & quidem Romæ cogerentur litigare sumptibus
maximis, in foro cùm calumnijs summè obnoxio tum ad
quævis vendibili. Neq; verò non tantum nullam quamvis
iniquissimam appellationem rejecerunt Papæ, sed & citra
appellationem & præter Episcoporum ipsorummet vo-
luntatem sui judicij fecerunt causas Episcopales, easq; no-
vo exemplo Romam pertraxerunt. Coepérunt autem hæc
quasi per gradus. Namque in synodis etiam auctoritate re-
gia jam decisas causas unā cum partibus Roman vocavit
jam Nicolaus Primus Hildebrandinæ hæreseos metator.

Cum

Cum Romam venissent quām iniquo sint iudicio circumventi Guntherus & Theodogurho Episcopi Belgici, liquet ex communi querela quam post Aventinum & Flacium etiam Baronius resert. Nicolai successor Hincmari Laudunensis causam, evocato auctore & reo, Romæ itidem voluit definire; verūm Carolo Calvo regi & Belgij Episcopis etiam hoc meritò insolens tūm est visum. Quoniam scilicet haec tenus obtinuerat more sardicensibus etiā patribus probato, ut causa etiam per appellationē ad Papam devoluta, non nisi in provincia in qua erat nata per Episcopos & Papales vicarios decideretur. Inter Hildebrandi dictatus est: *Quod majores cause cuiuscunq; Ecclesia ad illum referri debeant.* Est autem illud sequenti tempestate strenue observatum, atque ita penè omnes illæ de quibus agimus Episcoporum causæ, Metropolitanorum & provincialium Synodorum iudiciis subductæ sunt. In ijsdem est dictatibus: *Quod Papa solus posset Episcopos deponere & reconciliare.* Quo itidem omnibus synodalibus & regijs Episcoporum damnationibus detrahitur. *Quod ipsum adhuc magis fit aperte in dictatu illo: Quod ab h[ab]i Synodali conventu posset Episcopos deponere & reconciliare.* Sed hac de re paulò post clarior.

LXVII. Præterea, ut alij clerici ita & Episcopi atq; Archiepiscopi subducti jurisdictioni reipublicæ, in unius fermè Papæ imperium concesserunt. Princeps omnem regiam potestatem à suis cervicibus removit Hildebrandus aut Gregorius septimus Papa, & quidem ita ut pariter reliquum clerum, contra morē antiquum, subtraheret laicoru imperio, quo sibi eos subiiceret. *Huiq enim (verba sunt Onuphrij Panuinij) cum omnes Latina Ecclesia tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera sit, & ab Imperatoru manus eruta.* Ex eo sanè auditæ demum illæ voices sunt: Clericos omni jurisdictioni laicorum esse exemptos, & quidem

quidem iure divino. Quod usq; ad eum arrisit sequioris ^{ævi}
hominibus, ut ex eo tempore paucissimi libertatem cleri-
corum tulerint acceptam Principum benignitati. Ita quo-
que aperte in canones Ecclesiasticos translatum est, ut Bel-
larminus, qui humano juri primū adscripsit illā libertatē,
post mutata sententia auctoritate canonum illorum com-
motus concesserit in partes adversas, ut videre est *l. de cle-
ricis edit.* Venetiæ 1599. & in ijs quæ adversus Ioannem
Marsilium, Paulum Servitam aliosque Venetos Theologos
disputavit, Paucis post Hildebrandum annis in Concilio
Urbanus Papa (teste Florentio V Vigorniense in Chro-
nico anno 1121) eos anathemate percutiens, qui pro im-
petrandis Ecclesiasticis honoribus laicorum sunt homi-
nes aut vasalli, dixit: *Nimis execrabile videri, ut manus que*
in tantam eminentiam excreverunt, ut (quod nulli angelorum
concessum sit) Deum cuncta creaturae suo signaculo creant, & eun-
dem ipsum pro redēptione & salute totius mundi summi Dei Pa-
tri obtutui offerant, *in hanc ignomiā detrudantur, ut ancille fiant*
earum manuum, que die ac nocte obscuris contactibus inquinan-
tur, sive rapina & iniuste sanguinum effusione addicta commacu-
lantur. Quæ verba sunt profecto in Reges ac Principes
summe injuriosa, simul vero ostendunt, quām putidis ar-
gumentis imperium Principum Papæ & Episcopi detre-
staverint.

LXIX. Quamvis vero ea sit Papæ mens & multo-
rum aliorum, tamen non statim ab Hildebrando id ipsum
republicæ est persuasum. Narrat sanè Otto Frisingensis
l. 1. de reb. Friderici c. 62. dissidentibus Trajectinis de Epi-
scopi electione, Regem Conradum ex Frisingensis & Mil-
lenis Episcoporum sententia rem omnem judicandam
suscepisse, parte autem altera provocante à Cæsare ad Pa-
pam, illam majestatis læsæ damnatam, imò Trajectenses
hac

Hac de causa grandi pecunia esse multatos tradit idem Otto l.2. c.4. Ejusdem de Friderico I. hæc verba sunt l.2. c.9:
Rex in proximo Pascha Babenberg coronam gestans, duos Cardinales, videlicet Bernardum presbyterum, & Gregorium diaconum ad depositionem quorundam Episcoporum ab Apostolica sede destitutos, secum habuit. Proximam dehinc Pentecosten Vormatiæ ferians, Henricum Moguntina sedis Archiepiscopum, virum pro distractione ecclesia sua frequenter correptum nec correctum, per eosdem Cardinales deposuit, ac Arnaldum cancellarium suum per quorundam ex clero & populo, qui illuc venerant, electionem et subrogavit. Idem etiam Cardinales, permissa Principis, Burckardum Eistetensem senio gravem, de iniuritate causantes, iidem submovere. Dumq; post hac in Magdeburgensem & quosdā alios sententiam ferre cogitarent, à Principe inhibiti, & ad propria redire jussi sunt. Hæc Otto. Idem pòrrò Fridericus Cardinalem aliū Roma missum Magdeburgensis negotij causā repulit, ut legitur c.10: quin & Vlricum Halberstadensem Episcopū, quod tributum sibi in Italiā exercitu ducenti non persolvisset, Hartvicum quoq; Bremensem qui jussus Cæsarem in Italiā subsequi id neglexerat, majestatis damnavit in conventu procerum, prædijs eorum in fiscum Imperialem relatis, telle Ottone cap.12. contentionem quoque cleri Coloniensis auditis partibus finivit, ut idem Otto narrat c.31. & 32. Ex hisce sanè manifestum est, non ex sententia Dictatum Hildebrandinorum Cæsares statim omne de Episcopis judicium Papæ permisso, sed quemadmodum eorum institutionem, ita & depositionem sui ex parte juris existimasse. Adeoque ut metropolitanorum Synodalia judicia quidem non habuerint amplius locum, non in unius tamē Papæ jurisdictionem Episcopi tum quidem transferunt. Veruntamen videtur non multò post etiam hac parte prævaluisse tyrannidem Papalem, præser-

tim posteaquam Fridericus II Cæsar adolescens & sub tu-
tela Honorij Papæ inductus à tutore constitutio-
nem, de libertate clericorum promulgavit, simulque in Ger-
maniam Ius Decretale Pontificium malum pedem intulit.
Et si enim multa ex voto non successerint clero per Ger-
maniam, & Fridericus ipsemet jam adulstior licentiam cle-
ro indultam rursùm circumcidet (quo nomine inter alia
anathemate Cæsarem ferire non dubitarunt Papæ) non
tamen post Fridericum illum secundum quisquam Episco-
porum à Cæsare & Ordinibus dignitate motus fortassis
est, cum ex adverso fatis multi id passi sint tantum vi sen-
tentiae Papalis. Vix legas ex eo tempore, quenquam
Episcoporum secularis causæ ergo ante Maximilianum in
Germaniæ judicijs conventum esse, tantum abest ut id fa-
ctum sit sacri delicti nomine: cum tamen Carolus Magnus
ipsemet Felicis & Elipandi causam fecerit in præsentia suâ
Francofurti per synodum definiri.

LXIX. Post Maximilianum Carolus V præsca rei-
publicæ jura felicius coepit vindicare. Namque & de cau-
sis ipsam religionem attinentibus multa pro re natâ consti-
tuit, ægrè licet ferentibus Papis, imò Cæsarem graviter ob-
jurgantibus. cuiusmodi increpatoria epistola Pauli 111
in medio versatur. Cum etiam Ioannes Episcopus Hildes-
heimensis, contra leges pacis publicæ, impetum fecisset in
Brunsuenses Duces, proscriptus est à Cæsare anno 1521
ex decreto Ordinum Imperij, & Brunsuicensibus Ducibus
bona Episcopo erepta in feudum sunt concessa. Cum por-
rò Papæ judicio causam hanc submisisset Episcopus, & Ro-
mæ spolijs damnati essent Duces anno 1540 per Paulum
111, tamen sententiam illam Papalem minimè admisit
Cæsar, licet aliquoties ab ipsomet Papa rogatus, sed tan-
dem

dem Camerae Spirensi anno 1548 rem omnem ex sententia
Ordinum remisit. Per Atrebatensem quid Episcopo Hil-
desheimensi, restitutionem ex auctoritate Papalis senten-
tiæ perenti, anno 1547 responderi jussit, memoratu dignu-
est testem ipsum Episcopum audire: *Quod sacra Cesarea*
Majestas, posteaquam ex relatione ipsius, & aliorum dominorum
Doctorum consiliariorum sua Majest. unanimi voto & sententia,
cognovisset & intellexisset, quid Papalis sententia restitutoria
mea maximè in hoc fundata esset, quod Bannum Imperiale Came-
ral. contra Ioannem Episcopum Hildensem prædecessorem
mucum per Majest. suam latum, invalidum esse cognovisset, vigore
tamen cuius auctoritate sua Majest. Duces Brunsuicenses predicti
bona Ecclesie Hildensem invadissent & illa occupassent; &
quod non spectaret neq; pertineret ad summum Pontificem Paulum
& sedem Apostolicam super validitatem & invaliditatem banni sui
imperialis disputare, neg. de illo cognoscere haberet. Et idcirco
ex defectu iurisdictionis sententia restitutoria Papalis etiam Con-
sistorialis predicta nihil & nullius momenti esset, & Majest. sua
illam non ad unum pilum astimaret, neq; pluris uno pilo haberet
ac faceres. Eadem verba saepius leguntur repetita in
publico instrumento, uti vocant, Episcopi rogatu à
tabellione conscripto. Idem porrò Carolus Caesar Her-
mannum Archiepiscopum Colonensem anno 1545 no-
wantem nonnulla circareligionem receptam citavit ad di-
cendam coram sese causam, interim ne quid moveat ju-
bens utque quod erat motum in pristinum restitueret: non
exspectata sententia Papæ, eundem loco etiam movit, quod
tamen Papæ quoque consensus accessit. Vnde manife-
stum est Carolum existimasse etiam in merè Ecclesiasticis
suo Imperio Episcopos subjectos esse. Notum præterea
est injectas esse manus à Ferdinando II Cæsare cum in Car-
dinalem Cleflium, tum in Archiepiscopum Trevirensem:

quale facinus anathemate solet ferire curia Papalis bullæ
cœnæ dominicæ. Verum enim verò haud facile tamē dixeris,
eandé esse hodiè sententiā & Proceribus Germaniæ qui
majorum religionē tuentur, quod clericī nempè nostri nō
sint exempti amplius in personalibus causis à foro Cæsaris
& reipublicæ. Namque ejus partis theologi pariter & cano-
nistæ ab ipso jure divino libertatem istam atque exemptionem
vulgò derivant, idque propalam & ore & scriptis de-
fendunt. Quì aliud verò sentiant illi qui sunt ex horū ludis
profecti? Ad hoc nō dubitavit Camera Spirensis anno 1629
sententiam olim à Carolo V in Episcopum Hildesheimen-
sem latam (quantum videtur) eo nomine rescindere, quod
Cæsar Episcopum non potuerit proscribere, eo que pro-
nunc lavit pro sententia Papali: quo utique sit manifestum
etiam ex illius maximī tribunalis mente Cæsari nō com-
petere in Episcopos jurisdictionem. Cæterū prorsus
alii & planè vetera illa de reipubl. auctoritate etiam in cle-
rūm placent, imò mordicūs propugnantur ab Ordinibus
Protestantium partis. Ut proinde in tanti momenti negotio
videatur respublica quasi in anticipi haec tenus collocata.

LXX. Notum præterea est, seculo tertio decimo præci-
pue in vectam esse auctoritate Pontificia unà cum legibus
novis Papalibus in Ecclesiam Christianam impeditam
illam & perplexam procedendi in foro rationem, quæ post
ferme, ubi cunq; & Romanū jus receptū est, in omnia etiam
secularia foras se penetravit. Non est instituti nostri iniqui-
tatem illius ex merito describere præsertim quū nemini nō
liqueat, illa omnibus auctoribus maximè adversam, reis ni-
miū plerumq; favere, judicia verò debeant ex æquo utriq;
parti esse utilia, facile etiam sit observatu, ne quidem in teo-
rūm gratiam institutum esse illum processum, ut ut isthac
specie soleat commendari, sed quo judicijs ex multitudi-
ne 82

ne & diuturnitate litium crescat auctoritas pariter & insigne lucrum , adeoque vel maxime ita omnia constituta esse, ut curia Romana omne genus litium ad se trahere & homines auro possit emungere. Cujusmodicunque verò illa sit procedendi ratio, jam à seculo tertio decimo in foro & negotia Episcopalia certe insinuavit se. Quod ipsum quanto Germania malo factum sit, satis est ex unico Conradi Urspergensis testimonio perdiscere, qui ipso illo tempore vixit. Cum enim narrasset Ottonem IV electum esse Regem adversus Philippum in hæc verba prorumpit: *Facta est hæc abusio, ut fieret quasi portentum multarum abusiorum, quæ subsecutæ sunt in terris. Vix enim remansit aliquis episcopatus, sive dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam duderetur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia.* Lætare super iniquitatē filiorum hominum, quoniam in recompensationē tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare super adultrice tua discordia, quia erupt de puto infernali abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper fitisti. Decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem visisti. Ad te trahit homines, non ipsorum devoatio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio precio comparata.

LXXI. Antequam ab Episcopis abeamus, nonnulli etiam de judicijs Episcopaliū bonorum adjiciendum est. Illa olim non nisi ad laicorum Advocatorum & porro Regium forum pertinuisse ex ijs quæ n. 35. attulimus est manifestum. Etiam proximis seculis subducta esse bona illa judicijs ordinarijs Principum & Comitum, liquidò patet cum aliunde tum ex tabulis privilegiorū Regiorum

Episcopis concessionum; quales ab Ottonibus, Henricis &
liisque Cæsaribus editæ etiamnum supersunt satis multæ.
Atramen etiam sic omnia bona manerunt in Advocato-
rum cura, ut ut longè amplissima illa fuerint, paucis exce-
ptis, & quidem usque ad Fridericum secundum. Paucis
inquam exceptis. Videtur enim jam tum Ottonum ætate
Ducum dignitas & potentia nonnullis Episcopis, Mogun-
tino scilicet, Coloniensi, & VVirzeburgensi concessa,
adeoque plena bonorum administratio, imo secularis (uti
vocant) in populum subditum jurisdictio. Reliquis au-
tem Episcopis forte omnibus sui manserunt Advocati. Et
quidem dare illos Regij juris fuit: more jam Carolina æ-
tate recepto, ut liquet ex capitulo 13. lib. V. &c. 303. lib. VII. apud
Ansgium. Quamvis enim Urbanus III ann. 1186, teste Baro-
nio, gnaviter laboravit in id uti liceret ipsi met Episcopis
Advocatos adsciscere, jus tamen Regium superavit usq; ad
Frideric. secundum. Atq; hic quidem possit videri omnino
jure illo cessisse statim Imperij initio, verbis bullæ sue quam
habet Goldastus statut, Imperial. fol. 73. &c. 74: *Omnia nos
spiritualia uobis & aliarum Ecclesiarum Prelatis relinquimus liberè
disponenda, ut que sunt Cæsarum Cæsari, que Dei Deo rectâ distri-
butione reddantur.* Forte tamen verba illa alio sunt sensu ac-
cipienda. At post Fridericum illum certius est id juris Epi-
scopos tantum non omnes paulatim impetrasse. Facit
huc VVilhelmi Cæsaris privilegium Mindensi Episcopo
concessum, quod legitur in Chronico Mindensi à Pisto-
rio edito: *VVilhelmus Dei gratia Romanorum Rex, semper Au-
gustus, &c. Cum venerabilis V. VVedekindus, Ecclesiæ Mindensis
Prepositus, dilectus consanguineus & Capellanus noster &c. à
Decano & Capitulo ejusdem Ecclesiæ, &c. in Episcopum & pasto-
rem unanimiter electus, ne bona eiusdem Ecclesiæ, quam in nostram
& Imperij protectionem recipimus specialem, hostili lacerentur
incursu*

intus & improborum insultibus dispensentur, regalia & administrationem bonorum temporalium ipsius Ecclesiae sibi concedimus, de benignitate regia Majestatis, ut de cetero tanquam Princeps Imperij, bona ipsius Ecclesia administret, ordinet, dispenset, prout melius ad utilitatem Ecclesiae videtur expedire, &c. Dazum Brunsig. VI. Idus Septembr. anno Domini 1253. Ex eo sane plerique Episcopi excussis suis Advocatis ipsi cæperunt secularia quoque judicia & Administrationem bonorum suorum exercere. Quod ipsum quantum malorum & Ecclesiae & Reipubl. Germanicæ attulerit, non est hujus loci exponere.

LXXII. Pleraque porrò bona Episcoporum oneribus publicis, haud secus atque alia laicorum, fuisse usque ad Friderici II ætatem obnoxia per totam Germaniam, & haec tenus ignoratam divinam scilicet illam clericalium divitiarum ab oneribus reipublicæ immunitatem, probatum facillimum est. Quare ad illud sane usque tempus nemo etiam dubitavit controversias de Episcopalibus bonis ad laicorum Advocatorum vel Regium forum pertinere. Neque enim temere reperias exemplum aliquod contrarij conatus, nisi quod curia Romana post Hildebrandum missitare illa cæperit. Utque adeò profecto id verum est, ut Fridericus I. Secundi avus, frustra conquerente Papa Adriano, ab ipsius Papæ bonis per Italiam publica tributa reipublicæ non poposcerit tantum, sed etiam exhiberi sibi fecerit. Qua de re omnino legendus Radevicus I. de rebus gest. Friderici 4. cap. 34. ubi Bambergensis Episcopus scribit à Papæ nuncijs Cæsari propositum inter alia: *de dominicalibus Apostolici fodrum non esse collendum, nisi tempore suscipienda corona*. Posteaquam vero Fridericus II inductus est, levare istis oneribus clericorum bona non multò post laboratum est cùm ab Episcopis & reliquo clero tūm a Papa Roma-

Romano, & quidem summa est opera laborata, ut omnia bona foro etiā laico totius reipublicæ eximerentur. Neque verò Fridericus quid aliud quā hoc tantum dixerat, quod insertum est titulo *Codicis Iustiniani libri r. tertio De Episcopis & clericis l. 33.* quod ipsum nūhil aliud est quam confirmatio Imperialium & canonicarum sanctionum, quæ exemptionem à judicio summo reipublicæ non admittunt. Ad eoq; præter mentē Imperatoris nimis prolata est interpretatio. Ne quidem videtur ille voluisse simpliciter ab omnibus oneribus exempta clericorum bona, sed tantum ab iis quæ Principes aut oppidanī laici ex more illis imponebant. Ita enim sonant verba l. 2. ejusdem tituli: *Item nulla communitas, vel persona publica vel privata collectas vel exactiones, angarias vel parangarias Ecclesiis vel aliis p[ro]pt[er]is locis aut Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere Ecclesiastica bona presumant.* Exigente autem reipubl. usu non desit ipsemēt feudalibus & patrimonialibus clericorum bonis onera hactenus sueta imponere. Eoque Gregorio 1x ipsum accusanti *De talliis & exactiōibus quod contra formam pacis ab Ecclesiis & monasteriis extorqueantur* respondit teste Matthæo Parisiensi: *Talliæ & collectiones clericis & personis Ecclesiasticis non pro Ecclesiasticis rebus, sed pro feudalibus & patrimonialibus imponuntur, secundum quod est ius commune, & obtinet ubiq[ue] per orbem.* Qua de re alias latius.

LXXXIII. Quamvis verò ad hunc modum ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus habuerint sese bona ut aliorum clericorum ita & Episcopaliū, tamen à Friderici aetate cœperunt illa trahi, à Papa cum primis & Episcopis, ad solius Ecclesiastici adeoque Papalis fori jurisdictionem. In eam sententiam sane non unus extat canon Pontificij juris post Fridericum latus. Multi quoque Canonistæ eandem sententiam mordicūs defendunt. Non desunt tamen

men nec defuerunt unquam doctores qui pro seculari jurisdictione saltem in feudalia bona Episcoporum acriter certaverunt. Nonnulli quoque Imperatorum partes suas iverunt defensum satis gnaviter. Apud Goldastum tomo II. Const. Imperial. p. 86. & 87. extat rescriptū Ludovici IV. ad Magistrum & Fratres Ordinis Teutonici: *ne fideles Imperij coram alio judicio Ecclesiastico vel seculari, quam Imperiali, ratione bonorum ab Imperatore collatorum respondeant.* Friderici III. Cæsaris literæ quibus anno 1476 interdixit Halberstadiensi Episcopo appellatione ad Papam à sententia Cæsarea lata de pago Detfort, sunt in medio productæ in opere cui titulus: *In sachen Braunschweig contra Hildesheim remissione Auffürliche Relation vnd Vericht pag. 359.* Eoque ferè nunc obtinet in Germania, ut solus Imperator ratione bonorum feudalium & regalium jurisdictionem in Episcopos exerceat, si pacem publicam violaverint eos etiam condemnaret, teste Gailio I. i. de pace publica cap. 1. n. 13. c. 8. n. 8. provocetur etiam à sententia Archiepiscopi vel Episcopi non ad Pontificem verum ad Cameram, eodem teste I. i. observ. 30. n. 1. & 2. De illa rei publicæ jurisdictione in regalia & bona temporalia Episcoporum quædam & in leges publicas Ordinat. Camera. p. 2. tit. 7. recepta sunt. Multum tamen vereor ut jurisdictioni Cæsarea satis vel hæc ratione sit cautum.

LXXIV. In hunc modum sepe Episcoporum habet forum. MONACHI (ut de ijs hic aliquid addamus) et si omnes Carolino ævo fuerint proximè quoad personalia sub Episcoporum cuiuscunque diæceseos jurisdictione Ecclesiastica, tamè sequentibus seculis etiâ hac in re multa facta est mutatio. Etenim & antiquorū monasteriorum nonnulla auctoritate Papali Episcoporum jurisdictioni sunt subducta solique Papæ subdita: & novi mendicantium

Monachorum Ordines circa seculum tertium decimum usq;
& sequente tempestate instituti liberi prorsus ab omni
Episcopali jurisdictione, adeoque suis proximè Provinci-
alibus & Generalibus demumque uni Pontifici subjecti.
Neque verò laicorum aliquam in se potestatem id genus
hominum in personalibus quidem causis dudum voluit
agnoscere. Quamvis enim Protestantium Principes, si
quos alunt, in numero eos habeant reliquorum subdi-
torum: inter alios tamen omnes idem minimè observa-
tur: licet haud dixerim nusquam observari. Ut proinde
ne hæc quidem jurisdictionis ratio certa sit & uniusmodi
per Germaniam, haud levi profecto reipublicæ malo, in
stanta utriusque sexus rur auctoritatis sive otiosorum multi-
tudine.

LXXV. Bona Monachalia Iurisdictionem suam nomi-
nūs atque Episcopalia mutaverunt. Illa jam tūm circa
initia sua, Carolinaregnante familiā, subducta esse ordi-
narijs judicijs Comitum & Principum, & commissa Advo-
catis liquido apparet ex ipsis antiquissimis tabulis funda-
tionum quas appellant. Cæterū sequentibus tempo-
ribus Advocatorum judicijs monasteriorum multorum
bona sunt erepta, partim vi per Pontifices Romanos, par-
tim grandi ære dato aut simili aliquo contractu. De Prio-
re exstat querela Principum Germaniæ inter centum gra-
vamina n. 13: *Insuper & hoc moluntur summi Pontifices mona-
steria aliquot eximendo, ut ab Episcoporum, eorum scilicet Ordinarijs ac Defensorum Profectorumque aliorum jurisdictione ita
exempti, reddantur immunes, immediateq; subiaceant sedi Apo-
stolice. Quæres non tantum prædictis ipsorum Ordinarius ac De-
fensoribus sed & toti Romano Imperio cedit in jacturam, tūm
quando collatio pecuniaria pro Imperij necessitate viritim Imperij
statibus indicitur. Ita enim fit, ut ipsi per se ab oneribus publicis
exempti*

exempti immunitate sua gaudent, &c. De posteriore præclaræ differit Ioachimus Vadianus l.2. de collegiis & monasteriis. fol. 103. & quidem de monasterio Valkenrithensi notat Eckstormius in Chronico p.81. Ottōnem IV Cæsarem resignatam sibi à Comite Hohnsteinensi Advocatiam in villa Rhoda cuin omni jure monasterio contulisse, p. item gr. Pro Advocacia quam Comites Honstenij ab Imperio in fendo habebant Monasterium ipsis numeravit 36. argentimarcas. Quamvis autem multa monasteria liberam naēta sint in sua jurisdictionem, multa tamen sub Advocatis suis relieta; bona quoque non nisi paucorum ab oneribus publicis immunitatem acceperunt. Eoque hodiè per Germaniam jurisdictionis ratio in monasteriorum sive personas sive bona varia est: alibi nempe multum ex veteri more, alibi multum ex recenti trahens. Quin ipsa suprema jurisdiction in controversiis bonorum cœnobiticorum hodieque alicubi ad Papas trahitur, utut Cæsares obnitantur.

LXXVI. CLERICOS alios quod attinet manserunt illi quidem usque ad Protestantium tempora sub Episcoporum & Archiepiscoporum iurisdictione, neq; nisi cognita sententia judici seculari gladio forte puniendi sunt traditi, more sane duduī recepto: acciderunt tamen quæ ipsis penè impunitatem peccandi dedere. Qua de re graviter con questi sunt Principes Germaniæ in Gravaminibus num. 31. Quicunque, ajunt, Ecclesiasticos recipit ordines maiores seu minores, per hoc omnium pœnarum magistratum secularium, utrumque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit. Neque hoc ita ordinati temere præsumunt, quod ab Ecclesiasticis summa conditionis statibus in peccandi hac licentia manu teneantur. Causas pessimi moris cum alias adducunt tum hasce: Ut in peccatis maleficisq; perpetrando magis adhuc soveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archie-

piscopis & Episcopis, ne malefactores hos publicè criminali iudicio reos agere possint, nisi prius degradatos: id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propere per quam variissimè undi illi malefactores merita plectantur paenam. Ad hæc adstringuntur obliganturque Episcopi per sua Capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicuntur, constitutas, secundum Canonica etiam iura, paenam ut cunque levibus, punire, affigere, non audent. Quæ res rotæ ad spectat, ut ex disparitate hac, inter laicos ac Ecclesiasticos, similitates, dissidia, atque odiā plusquam Vatiniana oriantur. Verum hæc omnia per Protestantes quidem multum sunt mutata. Etenim clerici illorū hodiè in causis personalibus subditi sunt foro consistoriali ab ordinibus Protestantibus passim constituto, in aliis autem plerumq; fortiuntur forum commune laicorum: Pontifici aut Episcopis nullo amplius in illos jure permisso.

LXXVII. Porrò etiam quæ in laicos sacro ordini jam olim competit sancta jurisdicō multum mutavit pristini moris. Quum enim olim secundum priscæ Ecclesiæ canones causæ illæ spirituales laicorum in singulis provinciis per sacerdotes & Episcopos vel Archiepiscopos deciderentur, post plurimæ earum Romam sunt tractæ. Hinc Excommunicationum & Interdictorum fulmina Papalia Germaniæ non minus quam alijs regnis per sunt facta familiaria. Disertim Episcopali judicio multas controversias, unde plus lucri captari poterat, subductas suo foro Papæ reservarunt. Adhoc hæreticæ pravitatis Inquisitione, uti vocant, in Dominicanos monachos translata, rem maxi momenti itidem Episcoporum judicio Papæ subtraherunt. Nova etiam sunt & à prisco more aliena de quibus conqueruntur Principes gravamin. 34: *Roma ceterisque in locis per Archiepiscopos ac Episcopos aut certè eorum Ecclesiasticos judices, multi Christianorum ob causas prophanas, ob pecunia denig;*

deniq; ac turpis questus amorem excommunicantur, multorumq;^r
sed eorum infidei infirmorum conscientie per hoc aggravantur, &
in desperationem pertrahuntur, ac denique ob pecunia, lucrative
tantulum, aut aliqui res minimi precij, ad internacionem usque
anima, corporis, honoris, contra divina humanaq; iura perducun-
tur. Quamvis enim non ob solum haeretos crimen, ut
Principes videntur voluisse, Excommunicatione usa sit
prisca & primitiva Ecclesia, sed ob morum quoque de-
plorata vitia, non tamen illam admisit ad levia facta aut
dubij juris. Nova etiam sunt quæ gr. 35. veniunt in que-
relam: Et illud in plerisque saepiuscule eventit, quod vicinorum
excommunicati decem & eo amplius, quos tamen causa nihil o-
mnino contingit, cum ipso principali excommunicationis pena ag-
gravantur, & non ob aliud, quam ut Officiales, Ecclesiastici scilicet
iudices, facilius citiusque pro libidine sua miseram plebeculam
depeculentur, ac pro suo libitu eorum abutantur simplicitate, ipso же
principales ad quascunque etiam iniquas acceptandas transactio-
nes per hoc compellant, adigantque. Nam etiam si excommu-
nicatus ipse, unacum uxore, liberisque suis, per intolerabile hoc
& inquisitorium bannionus, in exilium ire cogatur, quod hac in
re nullus sit Officialibus modus, neque finis, neque ulla facultatum
ratio: tamen nullus est hominibus illis respectus, num industria,
datave ad hoc opera, & per contemptum, an necessitate ita impel-
lante, vel casu potius, vicini cohabitatores cum excommunicato
ipso participarint commerciumve habuerint, aut sufficiensne hæc
fuerit concivibus causa, quare excommunicatum meritò solum
vertere jussisse debuerant, horum pensi habetur nullum. Prorsus
nova etiam sunt de quibus gravam 36. agit: Præterea, quum
sacerdos, aut aliqui Ecclesiastica persona casu occiditur, tum ne-
dum occisor excommunicatur, sed & totum oppidum, aut totus
pagus inquisitor interdictum: quod interdictum eò usque durat,
tamq; diu interrupta pendit publica Christianorum officia, quo

usque vel occisor, vel tota incolarum eius loci communitas fecerint
homicidij compensationem, homicidiumq. expiarint: non considerato eo, dederit ne occasionem, ut se gesserit, probè vel nequiter
versatus fuerit occisus sacerdos, vel alius Ecclesiastici ordinis asseri-
ptus, licet iura canonica ipsa in quibusdam casibus, modum negotio
prescribant: prægravantur, itaque ex delicto unius centum
alijs nihil tale commeriti: nedum contra communem æquitatem,
sed & contra omnia divina & humana iura.

LXXIX. Præter morem etiam veterem Ecclesiastice disciplinæ, pœnarum omnium saerarumque satisfactionum Indulgentia cœpit nummis venire: cum omnis pietatis summa corruptela. Ex adverso excommunications ob culpas in sacrum ordinem fortè commissas ut factæ sunt frequentiores ita & effectus earum est exasperatus; ita ut excommunicato nihil relictum sit civilis fortunæ. Etsi enim in Saxonici juris Speculum recepta sit hæc propositio: *Excommunicatio neminem debilitat in iure terræ seu feudi nisi sequatur regularis proscriptio*: tamen à Gregorio XI id inter hæreticas est sententias relatum. Exasperata similiter multum est poena eorum qui hæretici habiti sunt. Vivicomburio enim cœpit in illos animadverti: quod omni retro ævo in occidentali Ecclesia nunquam auditum fuerat vel visum. Vbi major fuit illorum numerus, crux in illos (utitum loquimmois tulit) fuit prædicata, & quasi communi gentium conspiratione in illos omnes, tanquam extrema commeritos, ferro & flamma, nullo sexus nullo ætatis discrimine, sœvitum est.

LXXIX. Hæc omnia etiam hodie vera & recta esse
judicant quotquot sunt Pontificiæ partis. Certè qui inter eos sunt doctores ita sentiunt & docent. Cæterum nihil horum non improbant Protestantes, eo que omnia hæc abrogaverunt. Nec tamen vel illi omni ex parte conveniunt

unt cum disciplina Ecclesiastica Carolino a^vo usitata: quālis enim illa fuerit petere est cum aliunde tūm ex Rabani Mauri p̄enitentium libello. In Protestantium verò Ecclesijs longe est mitior & laxior disciplina: quanquam nec apud illos omnes eadem sit ubique ratio.

LXXX. VENIMVS ad causas mērē seculares & inter seculares personas popularis ordinis controversias. Patet autē ex supra dictis, illas, Francorū durante Carolino Imperio, nunc in Episcopali audientia, nunc in seculari foro agitatas & decisas esse. Quemadmodū enim Theodosij legem omnibus vasti sui imperij subditis, communem esse voluerit Carolus ostendimus n. 34. Sequentibus verò seculis usque adeò plaeuit Episcopis judicandi hoc munus, quod olim optimo cuique grave onus videbatur, ut multis technis fimbrias suas hic dilatare sint conati. Neque verò quod l. 3. art. 87. Speculi iuris saxonici significatur, causas hasce omnes ad seculare forum tantum pertinere, ex Friderici I Cæsar's constitutione, ut innuit ad illum locum glossa, ita obtinuit. Plurimæ querelæ de iniunctate Episcoporum eorumque Officialium, qua laicorum causas contrafas & æquum ad forum suum pertrahere sunt soliti, prolixè adeò recitantur in gravaminibus Principum num. 56. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 70. 71. 72. 73. ut hoc loco omnia illa recitari non possint. Ingessit verò & in harum causarum judicia sepe Papalis curia quam maximè. Vnde conqueruntur Principes grav. 9. Pontifices Romanos ad petitionem personarum Ecclesiasticarum laicos non raro in causis profanis, puta hereditatum aut pignorum & in prima quidem instantia coram se Romam citare ac in ius vocare. Item gr. 10: Cum Roma quipiam etiam laicus interposito iuramento afferit, se non sperare iustitiam apud iudicem competentem in Germania, protinus ad tale iuramentum admittitur, ac agitatio ei contraparte adversam decernitur &c. Addunt gr. 11.

EST

Et aliud indicum Papalium genus, quos Conservatores vulgo
vocant: Eos Episcopi ceterique Ecclesiae Principes ex primatibus
vel Abbatibus Diœcesis à sede Apostolica in hoc impetrare solent, ut
coram his omnes illorum cause & lites, quas instituere cogitant,
dirimantur, vocentur; per hos in ius persona seculares, nobiles
& plebei, in causis omnino profanis, licet actioribus iustitia per or-
dinarium tribunal nunquam fuerit denegata. Quod si vocati in
ius ire recusaverint, y contra ius ac fas excommunicatione ferun-
tur. Item gr. 12: Sanctitas Pontificia ad Ecclesiasticarum perso-
narum petitionem iudices delegatos & commissarios, tamquam Ec-
clesiasticos iudices per Germaniam concedere solet, ut impetrantes
de hinc laicos, cuiuscunq; etiam dignitatib; vel præminentia coram
ita delegatis in causis profanis iudicio conveniri possint. In hunc
modum conquesti sunt ante hos centum annos & quod ex-
currit Principes & Ordines seculares Germaniæ; cumq; e-
mendationis nulla spes affulgeret, Protestantes quidē pro-
jecta omni & Pontificis Romani & Episcoporum in se & suos
jurisdictione, etiā hisce in rem publicam exortis vitijs finē
imposuerunt. An cuin alijs melius hodiè agatur haud fa-
cile dixero. Sanè certum est etiam Spirensi judicio hodieq;
isthō modo molestia faceſſere, & Episcoporum Officiales,
& Pontificios sive Conservatores, sive Nuncios & Lega-
tos. Ut proinde ne hoc quidem satis constanter in repu-
blica Germanica nunc sit constitutum.

LXXXI. Dictum porrò jam supra fuit *th. 70.* in foro
Episcopalia traductum illum perplexum procedendi in ju-
dicijs modum jam seculo tertio decimo. Cum tam multa
verò cæperint esse Ecclesiastici fori, quām omnia ex eo cæ-
perint litibus strepere manifestum est. Principes gr. 80.
conquesti sunt plerosq; inopia laborantes judicialium ex-
pensarum variorumque laborum & expensarum formidi-
ne ad iniquas transactiones compelli. *Neg. hoc (inquiunt)*
silentio

silentio preterire potest, quod Ecclesiastici indices & officiales mā-
seros ac simplices laicos, multo ies ad illicitas, iniquas, sibi penitus
nocivias transactiones adgunt. Nam si quando eos in ius vocant,
magna patronorum, tabularum forensium, scribarum, cæterorumq;
quorum opera in iudicario strepitu uti necessum habent, caterva,
nullo are conducta, sed gratutio conquista, stipati adstant, ac pau-
peribus illis prophanus, egestate pressis, id hominum genus non
misi magno conducendum est. Quod ubi fortuna, reiq; familia-
ris tenuitas denegat, ni penitus causa etiam iustissima decidere
velint, transactionem seu compositionem utcumq; iniquam inire
coguntur. Conqueruntur verò ijdem sequenti gravami-
ne quod in multis Ecclesiasticorum consistorijs non alij li-
tigantium partium patroni & advocati admittantur, quam
qui tribunali illi sunt obnoxij. Item gr. 65. & 66. quod refor-
mationes suorum iudiciorum Episcopi nec obseruent, neq; execu-
tione debitā tueantur.

LXXXII. Cæterum de sacro caufarum secularium
foro satis. Non leves verò mutationes passum quoque est
forū ipsum SECVLARE POPVLI controversijs illis judicandis
institutum. Etenim (ut ab infimis judicibus ad summos
pergamus) multis in Germania locis scabini vix alibi quam
in urbibus reperiuntur, eorum autoritate per agros deleta.
Alibi tamen etiam per agros antiquissimus ille ordo su-
perest, ut in Hollandia & ex parte etiam hic per Saxoniam.
Scabini porrò alibi à Comite aut eo qui Comitis pollet mu-
nere ex populo pro arbitratu eliguntur hodiè: alibi con-
stituuntur nulla Comitis accidente auctoritate: alibi de-
nique & à populo & à Comite simul eliguntur, plurimis sci-
licet nominibus Comiti oblatis, unde quem velit ille in
hunc ordinem adsciscere optione Comiti relictā. Quo-
rum postremum antiquo mori maxime affine est & ple-
beiam dignitatem cum Comitis auctoritate egreziò tempe-

rat. Primum ~~uocat~~ quid sapit, antiqua populi libertate perditā. Secundum merē ~~dignitatem~~ aut ~~decongregatio~~ est: obtinet verē alicubi eō quod populus hoc jus eligendi à Comitibus sive prece sive precio , sive vi, sive qua alia permutatione acceperit. Est autem illud itidem diversæ rationis : alibi enim consules & senatores oppidorum scabinos constituunt, alibi penes ipsum collegium scabinorum cooptandī jus est. Qua de re vide sententias Magdeburgensis scabinatus l.1. c.1. dist. 1. & 2. ut & de alijs ad scabinos pertinentibus c.3. integr.

LXXXIII. *Comitum* quoque aut Gravionum ratio multum quoque ab antiquo recessit, sive numerum viideas sive modum constituendi. Etenim olim quot pagos aut govas totidem Comites vel Graviones numeravit Germania. Post verò cäperunt multi Comitatus uni committi. Dati porrò illorum quam multi Episcopis & Abbatibus nonnullis: plurimi Ducibus ac Principibus cesserunt: paucissimi remanserunt penes illos qui Comitum titulo hodieque gaudent. Enimvero non Episcopis vel Abbatibus, non Ducibus, non Principibus jurisdictio illa in populum aut plēbem secularis cum mero mixtoque imperio competit, nisi in quantum ijdem Comitum vel Gravionum pollent potestate. Et verò jam olim ætate Carolina fuit moris alicui in Ducem electo duodecim Comitum potentiam simul concedere, in auctoritatem indubie maiorem: quod alias Duci quatenus tali non nisi bellicum imperium competeret. Hinc Annales Francici veteres ut & Aimoini continuator l.4. c.6. scribunt de Pipino : *Dominum reversus Grifonem more Ducum xii. Comitatibus donavit.* Et in ejusdem Aimoini continuatione l.5. cap. 17. de Ludovico : *Baldrico Duci Foro Juliensi , dum obijeretur & prolatum esset, ejus ignoravia & incuria vastatum*

à bar-

à barbaris regionem nostram pulsus est Ducatu & inter quatuor Comitatus est eiusdem potestas divisæ. Ut quidem hunc locum emendavit P. Pithœus l. i. Adversaria. cap. 8. cum vulgo legatur inter quatuor. Porro nonnulli Comitatus, per incuriam aulæ Regiae inter bella Germanica, nemini dati sunt, eoque omnis illa vis aut à plebe est occupata ut in Frisco olim populo, aut ab alijs sine ulla auctoritate publica proprij sunt juris facti.

LXXXIV. Porro olim quidem Comitum dignitas non videtur suis hereditaria sed ex arbitrio dependens penè unius Regis: at post paucissimis exceptis, facti fuere Comitatus hereditarij partim simpliciter partim feudali jure, partim & in populi quasi patrimonium transierunt cœu apud Frisios olim factum est. Plurimi porro ex eo non amplius à Rege sed ab Episcopis, Abbatibus, Ducibus & Principibus proximè in feudum concessi sunt. Multum autem reipublicæ interest quo hæc quidem modo se se habeant. Verè regium statum arguit, si omnes illi potissimi judices populi à rege ipso constituantur. Vniuersitatem Regis autoritas servari salva rectius poterit, si multi sint Comites, quam si pauci Duci, Principi, Episcoporum multos Comitatus simul teneant. Facile enim accidit ut horum potentia reipublicæ regiæ noceat & statum novum inducat, imo in ἀναρχίᾳ tandem rempublicam conjiciat.

LXXXV. Adhæc olim singulas gouas singulos habuisse Comites constat. Postea verò cæperunt multi in una eadem que goua Comitis non quidem nomine, auctoritate ramen gaudere. Namque & Reges vel Cæsares & Principes, & Duces & Episcopi, & Abbates, & Comites ipsi particulas gouarum suarum alijs atq; alijs urbibus, aut populi nobilioribus familijs, imo & plebejs tradiderunt, partim simpliciter venditione, partim pignore, partim feudi jure,

partim dono, partim varijs modis. Autor Speculi Saxonici
l.3. art. 64. illas translationes accusat iniquitatis: si Comes vel
advocatus par tem Comitatus vel advocationis alteri contulerit,
id contra ius censetur attentatum, nec desuper infendatus bannum
habebit regale. Non malè; videntur enim maximè omnium
hæc accidisse post auctoritatem regiam collapsam à seculo
usque tertio decimo. Certè ante hoc tempus nulla Vrbs
Germaniæ tale aliquod jus habuit, quod quidem haec
nun innotuerit. Vbi notandum: non omnes inferioris or
dinis quimerum mixtumque imperium tenent, ipso Co
mitivo jure illud tenere, sed penes multos tantum esse jus
Comitis vicariale aut Scultetiae, eoque ab illorum senten
tiis dari provocationem ad Comitem, vel illum qui Comi
tis valet potestate: quo ipso utriusque juris patet differen
tia.

LXXXVI. Ex Speculi Saxonici præterea l.1. art. 55.
discere est, deficiente Comite, aut eo qui Comitis est loco
ordinario, arbitrarios judices eletoſ. esse Gogravios dictos.
Verba Speculi sunt: Omne ius seculare ab arbitrio initiatum
est. Ideoq. nullus index esse poterit, nisi qui ad hoc eligitur, vel
infendatur. Eveniat autem evidens furtum violentiavè, cum
qua perpera transfuerit comprehensus, ad hoc licite Gogravius eli
gatur, qui ad minus ab incolis trium villarum seu prædiorum iſius
indicatus eligatur, & hoc si index ordinarius non habeatur. De
tali Gogravio pergit loqui articulus 56: In Gogravionatu de
iure non erit feudum, neque successio, quia de libero rusticorum
consistit arbitrio Gogravium eligere ad praesens factum, vel ad
tempus præsignatum. Conferat autem dominus alicui hoc officium,
dominus ei & suis filiis tenere collationem, & ad iura feudi obliga
tur, nisi libera rusticorum electione elidatur. Fuit autem ho
rum Gograviorū potestas pene momentanea. & die unico
naturali circumscripta. Vnde articul. 57: Si fur vel raptor
infræ

infra diem naturalem non condemnetur, ulterius eum Gogravius non iudicabit, sed ad insefudati iudicis spectat iurisdictionem. Ita de Gogravius qui ad violentiam incontinenti iudicandam eliguntur, sunt promulgatae. Cœpit autem & aliud Gograviorum genus in usu esse, judicandis nimirum non tantum subitis violentis criminibus, sed alijs etiam. Quare addit articulus 58. Qui vero in tempus eligitur spaciose, ille Gogravius & Marchione vel à Comite insefudatur: & sic coram eo deliberatum ruficorum arbitrium procedit, & licite in crastinas violentias iudicabit. Quando Comes iudicium sui Gogravy ingressus fuerit, per hoc iudicium Gogravy evanescatur.

LXXXVII. Constat porro quæ supra attulimus, Carolinis temporibus à Comitum sententijs provocacionem fuisse licitam ad Missum Regium, huic etiam auctoritatem fuisse animadvertisi in ipsum Comitem. At Author Speculi Saxonici l. 1. art. 50. ita loquitur: Non poterit ullus Comes, qui sub regali banno cognoscit, legitimum habere sine suo sculteto iudicium, cui ante omnia se ipsum debet præbere iudicandum, & ideo ab ipso primam, si congruum iudicandi tempus fuerit sententiam postulabit. & postmodum eundem interroget, si eum tumultus & indisciplinata in iudicio liceat prohibere, qua dum ab illo fuerint pronunciata, unusquisque de eo quod eum movet, mediante ferendario, suam interponat actionem. Et idem volunt verbal l. 3. art. 52. sine prefecto index (i.e. sine sculteto Comes) legitimum habere iudicium non potest, coram quo si accusetur, se in iuri debebit exhibere. Quia prefectus iudicis index est suorum delictorum, sicut Palantzgravius Imperatoris index existit, & Burggravius Marchionis. Verum obtinuerintne hæc aliquando nec ne, merito dubites: neque enim auctori illi tu-to credideris usque adeo multa inepta & falsa afferenti. Ut autem aliquando fuerit in usu, hodiè tamen nihil homini observatur.

LXXXIIX. Cæterum monumenta veteris reipublicæ accuratè expendentibus facile apparet, Missorum illorum regiorum qui in Comitum aliorumque negotia auctoritate regia quotannis inquisiverunt vix levem memoriam superfusile Ottonum ætate, nullam sequente omni tempestate. Ut proinde jam ab illo usque tempore hac in re magnam jacturam fecerit auctoritas regia. Neque enim non cuivis liquet quantum ad regiam vim servandam momenti attulerit Missorum illa annual legatio. Videatur autem omne illud Missorum jus absorptum fuisse saltem in plerisque locis summa illa Ducali potestate, quæ tum adhuc obtinuit. Observandum enim, ultimis Carolineæ familiae temporibus quatuor per Germaniam in quatuor præcipuis populis fuisse Ducatus, Saxonie, Bavariæ, Sueviae & Lotharingiae: cum amplissima immo tantum non regia in integros illos populos potestate. Videtur sane omnes Comites illarum provinciarum suis Ducibus tum fuisse subjectos. Quam ampla certè quondam fuerit Bavariæ Ducis potentia, manifestum est ex ijs quæ Auctor libelli von den Alten Reichs Vögtenen notavit p. 6. 7. & 8. item lit. E.F.G. Quin itaque hi Missorum regiorum vim tenuerint in Comites non est dubitandum.

LXXXIX. - Saxonorum Cæsarum & sequentium
ævo eadem auctoritas videtur Ducibus quadantenus ite-
rum subducta (prout & in multis alijs circumcisâ est illo-
rum antiquissimorum Ducatum potentia) & saltem ex
parte translata in *Palatinos Comites*, feudi legib[us] consti-
tutos. Neque enim ante hæc tempora usquam legas me-
moratos ejusmodi *Palatinos Comites*: & vero ab Ottone
Magno, relegato in Sueviam Everhardo Duce, quod fe-
rocius sibi restitisser, *Palatinos Bavariæ Comites* esse con-
stitutos, notum est ex Bojoaricis historicis. Detali autem

Palatino

Palatino Comite ita scribit Aventinus l. 4. *Is vicem Cæsar*
vis præsidendo Senatu Principali fungebatur, fidem Imperatoris
implorantibus aderat, iusq; reddebat, fiscum Augusti, prædia Salica,
reditus regios, procurabat, Cæsareum censum exigebat. Nihil
citra eius auctoritatem Ducit aut decernere aut statuere licet.
Si senatus consultum Regale (i. e. Ducis) dislicebat, intercedebat
ad Cæsaremque referebat. Habuit & Saxonia Palatinos suos
Comites de quibus egregia quedam in unum congesit
Reinerus Reineccius in appendice *VVitichindi*. De Suevæ
Palatinis res est obscurior. Qui memorantur tamen Pa-
latinii Tubingenses & Habsburgenses hic referendi omni-
no sunt. Franconia Palatinus videtur esse is qui alias Pa-
latinus Rheni hodieque nuncupatur: utraque enim Rheni
ripa ad Franciam pertinet orientalem. Burgundiæ quoq;
Palatinos memorat *VVolfgangus Lazius* in Austria.

XC. Conatus est de his Palatinis Comitibus non
nihil dicere etiam auctor Speculi Saxonici l. 3. art. 53. Quæ-
libet provincia Teutonica terra suum habebat Palantzgravionatum,
Saxonia, Bavaria, Franconia & Suevia, que ante quam à Ro-
manis superabantur, regna fuerunt, à quibus ipsa in Ducatus nomi-
nata fuerunt permutata. Attamen Illustres in vasallos, & vexillorū
feuda obtinuerūt, que ipsis per Imperium iam sunt subtracta. Quæ
verba videntur significare quasi Palantzgravionatus illi jā
ante Romanorū in German. imperiū fuerint in usu, vel cer-
tè quod à Romanis fuerint instituti. Et vero glossa Germa-
nica posteriore sensu verba accipit; vnde addit. Dieser Nah-
me Pfalzgraff ist zusammen gesetzet vom Welschen und Deut-
schen / denn im Welschen bedeutet ein pfalant einen bezwungenen
Herrn/ oder ein bezwungen Reich/ und ein Graff bedeutet
ein Richter/nach dem alten Sächsischen. Sunt autem omnia
hæc commenta anilia. Falsissimum enim est Saxoniam un-
quam esse domitam à Romanis aut regiam habuisse rem-
publicam.

publicam. Falsissimum item, Bajovarios nostros à Romaniis superatos, utpote qui pulsis Romanis Vindeliciam & Noricum occuparint. Par ratio est Francorum & Alamannorum. Iam ante quoque monitum est, horum Comitum Palatinorum per provincias constitutorum nullam reperiri memoriam ante tempora Saxoniorum Cæsarum. Omnia ineptissimum est glossema illud: verbum *Palant* denotare Italis provinciam subjugatam. Ex more vero ineptit ille Glossator in enumerandis quoq; Germaniaæ Palatinis. Primum Ducem Saxoniam esse Palatinum Saxoniam: Secundum Bavariam Ducem esse Comitem Palatinum Rheni: tertium Palatinum Marchionem Brandenburgensem: Franciam Palatinum esse Archiepiscopum Moguntinum, Sueviam Palatinum Archiepiscopum Trevirensim, Palatinum Grunoviensem Archiepiscopum Coloniensem. Risus sanè hæc digniora sunt quam confutatione. Etenim Saxoniam Dux quod Palatina illa gaudeat dignitate per accidens contigit ut post liquebit: & Palatinatus Rheni à Palatinatu Bavariae prorsus fuit semper distinctus, et si hodie dignitas illa sit pænes familiam Ducum Bavariae, Brandenburgensem Marchionem obtinere aliquem Comitatum Palatinum nusquam legitur in editis quidem monumentis. Nusquam item hoc legitur de Archiepiscopatu Moguntino. Quid Archiepiscopo etiam Trevirensi cum Suevia rei est? Nec temerè quid reperias de Archiepiscopi Coloniensis Palatinatu Grunoviensi, cum Grona sit juris Brunsuicensis. Fabulae igitur sunt: quibus omnes Saxonici & Suevici juris libri sunt refertissimi. Plus veri habet quod legitur art. 62. l. 3. specul. *Quinque civitates, que Palantia dicuntur, in Saxoniam inveniuntur, in quibus rex legitimis debet curijs praesidere.* Prima dicitur Grona, VVerlin, Secunda, quemodo in Goslariam translata est, VValhausen teria,

Alstede

*Alstedē quarta, quinta Mersburg nuncupatur. At verō hæc
oppida non pertinent ad negocium Comitum Palatinorū:
Sed fuere olim palatia regia qualia multa pāssim habuit Ger-
mania. Quæ verō his nominibus denotentur exposuit
Meibomius Irmenſulæ. 13.*

XCI. Cæterum Comitatus illi Palatini dudum in
Ducum potestatem transierunt. Etenim jam tum Duces
Saxoniæ Ascaniensis familiæ in feudū acceperunt Saxoniæ
Palatinatum. In tabulis etiam quibus Sigismundus Cæsar
Friderico Marchioni Misnia Ducatum Saxoniæ contulit
apud Petr. Albinum tit. 16. Meissnisch Land Chronic. p. 218.
diserta fit mentio der Pfalz zu Sachsen/ item des Pfalz Hau-
ses vnd Stadt Alstedē. Bavariæ quoque Palatinus Comita-
tus expiravit, à Ducibus Bavariæ nescio quo vicedominatu
in ejus locum substituto, teste auētore von den Reichs Vog-
treyen. Interierunt etiam Palatini Comitatus Sueviæ si qui
fuerunt. Vnus superest Comitatus Palatinus Rheni, ve-
rum omni illo jure antiquo dudum privatus. Et verō ne
Ducibus quidem ratione Palatini Comitatus hodiè quid-
quam juris est extra proprias terras. Quod euidem fa-
ctum reor per potentiam novorum pōst exortorum Duce-
tu, Episcopatu, Virbium aliorumq; simulq; per amplif-
sima singulis Ordinibus collata Cæsarum privilegia. In u-
niversum certè omnia lustrantibus facile apparet, nihil
fortassis hodiè superesse quod illi Missorum regiorum an-
tiquissimo & reipublicæ tūm utilissimo officio respon-
deat.

XCII. Si tamen verum fuerit quod ajunt à Conra-
do Imperatore anno 1147. institutum esse Rotvilese di-
easterium, amplissimo terrarum tractu illi subdito, quo li-
ceat & appellare à sententijs alibi pronunciatis, & nonnul-
las causas in prima etiam (utiloquantur) instantia deferre:

M

faten-

satendū omnino sit Missorum regiorum illam auctoritatem quadam tenus à Cæsare isto huc translatam. Neque enim major huic judicio potestas est, utpote quum liceat etiam ab hoc appellare ulterius ad Cæsarem vel ejus judicium summum, planè ut clīm data fuit provocatio à Missis ad Regem. Sed quantum illi historiæ de institutione prima judicij Rotvilenſis sit trihuendum judicent alij. Neq; verò est ignotum quām multa ejusmodi soleant in Cæsares auctores falsò referri. Sed & judicium Magdeburgense non minus latè olim patuit, nec minore fuit auctoritate: & tamen arbitrario duntaxat populorum consilio absque ulia Cæsarīs auctoritate fuit institutum, utut & ipsi auctorem jacent Ottonem Cæsarem. Ut autem olim cæperit illud Rotvilenſe judicium nulla publica auctoritate, hor diē tamen omnino jus dicit auctoritate Cæsarea. Eoque merentur legi Ordinationes & Reformationes ejus apud Goldastum tomo 1. Reichs Sachzungen p. 6. & seqq. p. 206. & tomo 2. p. 266: cum primis verò quæ integrō libro hujus argumenti habet Paulus Matthias VVehnerus.

XCHI. Non dubitandum verò est Missorum illo-
rum veterum regiorum simulque & ordinarij Ducis defer-
etum effecisse tandem à seculo XI: i in terris illis quæ olim
Sueviæ Ducum imperio paruerunt, uti Vrbes complures
compromiserint in judicia quædam quemadmodum à
Principibus quoque factum esse n. s. docuimus. Neque
enim fuit ad manum qui controversias Senatus populique
Vrbium aut primorum in vrbibus decideret, quod nihil
etiā in Cæsaribus tum præsidij esset. Quapropter ne in bel-
lū lites exardescerent opus fuit novis judicijs compromis-
foriis. Ita Noriberga judices agnoscit VVindesheimum &
VVieffenburgum oppida: Reutlinga Vlmam, Eslingam,
Gemundam Suevicam: Schvvinfurtum suum Advocatum
regium

regium sed qui adjungere sibi debet aliquot scabinos Noribergenses & Rotenburgenses: Danckelspiela Ammannum Vrbis & Scabinos petitos Nördlinga, Rotenburgo ad Tuberam, Halla Suevica, & VVerta Suevica: Halla Suevica regium suum scultetum, itidem tamen adjunctis scabinis ex tribus proximis urbibus. Quæ omnia narrant cum alij tum Petrus Friderus l. z. process Camer. sub finem. Secutæ vero hoc exemplum sunt & aliæ urbes liberæ. Namque & Argentina judices primæ instantiæ agnoscit Basileam, VVormatiam & Vlmam; Ratisbona Augustam Vindelicorum, Noribergam & Vlmam.

X CIV. Cum ad eandem penè libertatem pervenissent Saxonicarum Vrbium nonnullæ seculo x i v, ipsæ quoque similem ob causam in judicia quædam compromiserunt. Eo factum ut Venedici soli præstantissimæ quæque Vrbes Lubecam hodieque provocent à sententijs suorum magistratum. Accessisse tamen & illud crediderim, quod illæ urbes leges & statuta Lubecâ tanquam à matrice sua acceperint: ut proinde in dubio hinc jus petere æquum sit creditum. Et vero hac potissimum ratione inductæ olim Polonicae, Bohemicæ, Marchiæ Misnensis & Lusatenses vrbes complures provocarunt ad Magdeburgi & Hallarum Saxonicarum amplissima quondam in id instituta tribunalia. Quod ipsum ergo mutatis in plerisque locis legibus antiquis, accedente Regum exterorum interdicto, hodiè pene omne desit.

XCV. Sed de judiciis quæ in locum judiciorum à Missis olim exercitorum successerunt, satis est dictum. Facile autem apparet id quod ante diximus hac in re multum detrimenti auctoritatem regiam accepisse. De ipso AVLICO IVDICIO REGIO vel Cæsareo quædam addenda. Speculum juris Suevici part. i. c. 13. italoquitur: In welche

Stade der König kömpt die in dem Reich lieget / das ist end
dieweiler darin lieget; die Mch / der Zoll vnd das Gericht ist
sein / er sol auch alles das richten das in der Stadt vnd in dem
Lande zurichten ist / ohne das begehret ist zurichten das sollen die
Richter richten/voraus die das beginnen haben zurichten. Quo-
rum verborū non ea tamen mens est , quasi Rex teneatur o-
mnes controversias illas judicare, sed quod possit decidere.
Quapropter cautius loquitur Speculum juris Saxonici.
l.3. art. 60. In quaunque civitate Imperij Rex devenerit, ibi
Telenia ei vacabunt & Monete. Et in omni territorio quo se
transfert, sibi iudicia vacant, ut possit cognoscere de omni causa
in iudicio non incepta nec determinata. Et in adventu Principis
omnes detenti (ad faciendum cum eis iustitiam) sunt regi praestan-
di, quanto citius post regis postulationem id duci poterit ad effe-
ctum, & in ipsis presentia vincendi sunt, aut. (ut juris est) di-
mittendi, postquam rex eos ait ipsis nunc ij ad iustitiam in audienc-
ia detentoris, aut in castro, vel fundo, ubi detenti sunt, postu-
laverit. Premissa si denegentur, & hoc per nuncios poterit com-
probari, statim qui eos tenent & detinnerunt, & castra in quibus
detinentur, proscriptioni Imperij includentur. Faciunt eodem
verba illa l.1. art. 58. Quando Comes iudicium sui Gogravij in-
gressus fuerit per hoc iudicium Gogravij evacuatur. Et sic Comi-
tis iudicium eliditur, si Rex eius ingressus fuerit Comitatum, ubi
Rex & Comes ambo sunt actioni presentiales. Sic etiam omnes
judices in regis presentia, si actio ipsum non attigerit, suspenduntur.
Hæc duæ illa Specula. Quæ si locuta sunt ex more sui ævi,
manifestum est priscum jus regium ætate Francorum usita-
tum, hac quidem in re adhuc superfuisse circa initium se-
culi quarti decimi. Quod tamen vel asserere vel negare
equidem haud ausim. Ab illo autem usq; tempore jushoc
magna ex parte omnino evanuit.

XCVI. Id

XCVI. Id certum videtur provocaciones ad Regem
fuisse omni etiam illo tempore licitas, & quidem in rebus:
levissimis. Cæterum postilla privilegijs de non appellan-
do multis modis restrictum est. Etenim jam ante:
Cameralis judicij originem reperire est, alijs indultam im-
munitatem non appellandi de certa aliqua pecunia sum-
ma, alijs simpliciter vel non nisi quando præsens adfuerit:
Rex. Sic Lehmannus, *l.s. Chron. Spirens. c. 116, & c. 125.* reci-
tat privilegium Spirensibus datum à Rudolpho I & Adol-
pho Nassovio de non vocandis Spirensibus in judicium
Cæsareum extra urbem suam, nisi quando sit denegata ju-
stitia. Carolus IV. *aureæ sue bullæ tit.* regi Bohemiæ il-
limitatam iudicandi facultatem attribuit, aut potius con-
firmat: *i. n.* aliquanto restrictiorem auctoritatem (liberam-
enim reliquit provocationem si justitia denegetur) etiam
reliquis sex Electoribus concedit. Id tamen neque à tri-
bus Ecclesiasticis Electoribus neque à Palatino & Bran-
denburgico observatum esse vulgo narrant. Quicquid
verò sit, per Rudolphum Cæsarem II. Serenissimo Electori
Brandenburgico iterum hoc est confirmatum, eoq; nunc
vicissim in ulum rediit. Valent verò eadem auctoritate
& Archiduces Austriae. Inter alias enim eminentissimas
immunitates etiam hoc numerant: *Dass von ihnen an einem
Römischen Kaiser oder König noch an des Reichs Cammer-
gerichte / oder andere Gerichte nicht appellireret, suppliciret
noch redimiret werden kan.* Item dass sie mit keiner Sachen
schuldig seyn/ für dem Reich zu Recht zustehen/ sie wollen dann
gerne. Præter hos verò pene nulli non Ordinum data sunt
sua quædam, magis tamen minusque restrictæ, de non ap-
pellando privilegia. Quorum multa recenset Friderus
b. n. de process. in appendice, multa ex eo tempore à variis
imperata sunt.

M 3

XCVII.

XCVII. Quamvis verò olim permisso promiscue
omnibus fuerit provocatio ad iudicium regium , raro
tamen ante quidem seculum quartum decimum fuisse il-
luc causas adductas, facillimum cognitu est ex aulici illius
iudicij ipsa constitutione. Etenim ea de re ita cautum est
Friderico 2 Cæsare anno 1236. cap. 24. Wir schen auch das
des Reichs Hoffe habe einen Hoffrichter/ der ein freyer Mann
sey/ der auch in dem Ampte zum wenigsten ein Jahr sol bleiben/
der sol alle Tage zu Gericht sitten/ ohn den Sonntag vnd die heil-
igen Tage / vnd sol die Leute richten die ihm klagten von allen
Leuten/ ohne Fürsten vnd andere hohleute/ wann es gehet an
ihren Leib oder an ihr Rechte/ oder an ihr Erbe/ oder an ihre
Chre/ das wollen wir selberrichten. Eadem verba repetun-
tur in Edicto Rudolphi I. apud Lehmannum l. v. c. CVIII.
ut & in Edicto Alberti I. apud Goldastum parte II. Reichsak.
p. 27. ubi cap. 13. art. 5. additur : Der Richter sol auch haben
einen sonderlichen Schreiber der da beschreiben sol alle die in die
acht kommen / vnd die Sache drumb sie dren kommen seyn.
Ad illum actuarium pertinent & sequentes articuli ad cap.
XL. Hinc verò liquet iudicium aulicum Imperatoris toto
illo seculo decimo tertio unum tantum habuisse iudicem
& unum actuarium vel scribam. Non aliam fuisse illius
iudicij rationem seculo etiam decimo quarto, abunde li-
quet ex illius ævi monumentis.

XCVIII. Cæterum decimo quinto seculo appella-
tiones illæ cæperunt esse longe frequentissimæ. Causa au-
tem hujus rei nulla fuit alia, quam quod eo tempore præ-
ter antiquum morem litibus tota pene Germania coepit
abundare. Cujus mali causam multos Ordinum in do-
ctores Iuris Romani tum retulisse eoque illos ab omnibus
judicijs & consilijs voluisse abigere, ipsum quoque jus Ro-
manum Germaniâ omni statuisse ejicere, manifestum est ex
ijs

īss tabulis Reformationis quas habet Goldastus p. 1. Reich
saß. p. 165. Et verò negari nequit pene illo ipso tempore quo
in foro Germaniæ coepit aliquis Romani juris usus, simul
magnam litium sementē in foro nostra sparsam esse. Hocq;
ipsum satis fuit accurate Ordinibus tum observatum. Ast
nō quod illi putabant sed partim in causa fuit simul tum in-
troductione procedendi in foro ratio, Pontificiæ curiæ proba-
ta, longa illa ac morosa, partim pessimorum rabularū mali-
tiae perversique ingenij partibus apertus ille amplissimus
campus calumniarum ac sycophantiarum. Scilicet ante
hac procedendi illa ratio jam tum dudum unā cum Ponti-
ficio jure pedem intulerat in Germaniam: verū obti-
nuerat tantum in foro Ecclesiastico, alibi non nisi parum
ex eodem fonte jam manaverat, quantum hodieque vide-
re est ex Speculis juris Saxonici & Suevici. Attamen ut-
plurimum simplex observatus fuit processus in foris secu-
laribus. Satis fuerit de Spirensibus judicijs audire testi-
monium Lehmanni l. 4. Chron. cap. 21. Was den Proces in
Rechtsachen anlanget / wie wol man vor Gericht vnd Recht in
Rechtsachen gar langsam den Brauch der Protocollen ange-
fangen / so ist aus denselben / so fast vor 200. Jahren beschrie-
ben; zuvermercken / daß von alters ein kurzer Proces in allen
Bürgerlichen iurungen gehalten / vnd schwere Sachen in zwe-
yen oder dreyen Gericht Tagen auff lengst erledigt werden.
Es befindet sich aus einen Protocoll / darin mehr als tausend
Urtheil eines Rahts / sampt der Parteyen flagen vnd allen
Handlung / so vor Gericht vnd Raht furkommen / nicht alleine
in Sachen der Bürgerschafft zu Speyer / sondern auch vieler
Adelichen Personen auff im Lande / der benachbarten Städte /
Flecken / vnd Dorffschafften / so entschiedt vnd Urtheil vorm
Raht zu Speyer vielfältig gesuchet / daß die Parteyen mehe
mündlich / vnd gar nicht in Schrifften / ihre Sachen entweder
selbst /

selbst/oder durch eines Rahts verordnete vnd beeydigte fürsprechen/nach Gestalt der Sachen entweder vor Gericht/so sie dahin gehörig/oder vor dem Raht fürgetragen/der Kläger seine Klage kurz/ohne weitleufigkeit/doch zur Nothurst anbracht/der beflagte darauff/seine einrede fürgewendet/der Kläger hinz wieder replicaret, vnd der beflagte duplizaret, darbencken jeder Theil sein beweishumb mit Lebendiger Kundschafft/oder in schrifften dargethan. Hæc Lehmannus.

XCIX. Quum præter alia mutata itaq; tñ fuerit procedendi ratio in multis Germaniæ foris, non potuit nō seges litium succrescere, atq; adeo appellationum ad judicium Cælareum major solito copia nasci. Et verò ea appellationum insolita multitudo permovit Cæsarem Ordinesq; de statu quodam & novo hac tenus Germaniæ haud usitato summo tribunali constituendo. Neque enim simpliciter verum est quod vulgo fertur, originem ortam ex eo, quod judicium regium unà cum Cælare ambulatorium esset. Ab antiquissimis enim temporibus illud semper fuperat vagum, nec tamen hac tenus ulla necessitas exegerat locum aliquem illius judicij statum. At verò accedente illa litium copia, sanè necessarium fuit constans tribunal instituere. Multum hac de re deliberatum primo fuit Maximiliano Cæsare anno 1495. Spira vero Nemetum demum in hunc perpetuum usum consecrata in Comitijs Augustanis anno 1530. Constat amplissimus ille consensus hodie Iudice Camerae Comitivæ aut Baronalis dignitatis, & quadraginta uno assessoribus, ijsque partim Romanis partim Augustanis fidei dogmatibus addictis. Constituuntur autem hi partim ab Imperatore, partim ab Electoribus, partim deniq; à reliquis Ordinibus, prout hi in circulos divisi sunt. Proceditur in causis judicandis non summariè ut olim, sed tractu longiori illo. Quamvis verò non liccat

Liceat appellare à sententijs hujus tribunalis, nec causas huc
delatas alio avocate, tamen si culpæ dolive arguatur Ca-
mera, petita inter justum tempus Revisione aut Syndicatu,
ad Cameræ Visitatorum judiciū recurritur, suspensa inte-
rim executione sententia in Cameræ tribunali pronuncia-
tæ. Quo patet simpliciter summagm judicandi auctorita-
tem non penes Ordinarios tribunalis illius judices sed ejus
Visitatores esse constitutam. Cæterum Revisiones ejus-
modi dudum nullæ haberi potuerunt ob contentiones in-
ter Ordines Catholicos & Evangelicos exortas, illis nempe
in Visitatorum numerum non admissentibus eos quibus
ex lege publica jus hoc datum fuit. Quam lente porro
causa in foro isthoc decidatur docent querelæ publicæ Or-
dinum omnium. Inter Gravamina Evangelicorum Osnabrugæ non adeo pridem hæc disertis sunt verbis proposita.
Dass es mit der Administration der Justiz zu Speyer der-
massen langsam und verzöglich zugehet / dass die Gerichtliche
Procesz bey eines Menschen ja offtermals Kind vnd Kindes-
Kinder ganzen Lebenzeiten kaum zu ihrem endlichen Beschluss
zu geschweigen Urtheil vnd Execution mehr gelangen können/
vnd also der *satis iustitia ut in suum enique tribuatur*, so gar
dabey nicht erreichen wird / das vielmehr contrario planè effe-
ctu andern bedrängten sub pretextu juris dass Ihrige calu-
mniöse auffgehalten wird: Ja sie noch dazu was sie anderweit
vbrig haben dabey auffwendn vnd auffsehen müssen. De mul-
titudine causarum ibidem adhuc harentiū memoratu di-
gna sunt eorundem Evangelicorum Ordinum verba in
Gravaminibus. Die Schuld solcher immortalis litium di-
turnitatis nicht so wel denen *litigantibus*, eorundem *advoca-*
tis seu procuratoribus noch *Dominis Iudicibus & Assessori-
bus*, viel weniger *prudentissimis legibus & sanctionibus*,
etiam procedendi forma modoque per se, als vornehmlich

immensæ causarum multitudini zu zu schreiben: Welche bereits auss viel tausend zum Theil geschlossene / zum Theil noch obschwebende Händel dermassen erwachsen / daß gleich wie bereit mit derselbigen alleinigen erörterungen / die Herrn Assessores auch in volliger anzahl länger dann ein ganzes seculum zu schaffen haben würden; das im Fall noch immer zu noch neue Sachen dazu kommen solten / sich selbige gar in infinitum auffhäussen / und keine andere Mittel oder Hoffnung mehr zu der meisten oder zumahl jüngerer Händel expedition und ersiedigung übrig verbleiben / und also in esse etu derselben Campana sine pistillo sein / und mehr den bösen und schuldigen zu Missbrauch / als denen bedringten vñ unschuldigen zu gute kommen würde. Hæc illi. Quæ omnia quaatum absunt ab illo antiquo judiciorum statu nemini non est manifestum.

C. Præter hoc verò summum judicium alterum quoque natum fuit, sive mansit superstes, in aula Cæsaris, quod vulgo der Reichs Hoffrat nuncupatur. Cujus leges & ordinem primum Ferdinandus Cæsar anno 1549. promulgavit, auxit Cæsar Maximilianus 11 anno 1596, plane novavit anno 1614 Matthias Imperator. Solius verò hæc tenus Cæsaris fuit illi judicio senatores dare. Quamvis verò ante hoc fatale Germaniæ bellum à Correspondentibus Ordinibus hujus judicij auctoritas acriter fuerit oppugnata, tamen etiam tum a plurimis Ordinibus fuit admissa, nanc verò à nemine fortassis in dubium amplius vocatur. Certè & in Transactione Pragensi confirmatum hoc judicium est; & hodie neque Osnabrugis neque Monasterij ea de re disputatur. Tantum id malè habet Evangelicos, quod in judicij hujus senatum hodiè soli Pontificij cooptentur, qui cum odio summo prosequantur omnes Evangelicos, inquis sententijs hos prægravant. Verè itaque & hoc judicium summo est per Germaniam loco, nullaque fortas-

fortassis parte minus Spirensi Camera: quin majorem potius huic attribueris auctoritatē quā Spirensi illi, quod illius decreta Revisioni subjaceant, hujus omnia sint ~~avertitur~~.

C I. HÆC ferè est summa judiciorum Germaniæ, ab antiquissimis retrò temporibus ad nostrum usq; ævum deducta. Brevibus restat ut exponamus quā ratione fortassis non nihil in melius vitia quædam, quæ nunc superesse possim monuimus, possint emendari. Ante omnia ergo ponendum quasi extra controversiam, ad id, ut respubliка aliqua plene fruatur majestatis jure necessariò requiri, ut sola habeat in potestate sua omnia judicia sine quibus administrari non potest. Neque enim respubliка quæ aliorum judicijs tenetur sive quoad omnia sive in multis negotijs, verè libera est & sui juris. Quod si ergo Germanica respubliка verè libera aliqua est respubliка, profectò ejus membra aliorum judiciis nequaquam debent esse obnoxia. Ponendum secundò etiam hoc est: cuilibet reipublicæ liberæ competere plenum in suos cives judicium: eoqué à judicio reipublicæ neminem civem posse esse inmunem; qui autem est immunis illum amplius in civium numero non esse. Tertiò ponendum: multum referre ad statum reipublicæ, penes quem sit potestas dandi judices negotijs potissimum Ordinum: itaque prout debet esse respubliка etiam Germanica, monarchica an aristocratica, an mixta, ita etiam hoc jus oportere ut se se aliter atque aliter habeat.

C II. Hinc manifestum est ignominiosum esse reipubl. nostræ id quod sibi arrogant Papæ Romani imperium in Cæsares & Reges Germaniæ: eoque manibus pedibusque, quod ajunt, procul à cervicibus reipublicæ merito hoc propellendum esse. Ex re igitur fuerit non tantum illis Hildebrandinis conatibus, si quando fortassis recrude-

rint, omnem reipublicae potentiam opponere, verum ne doctrinam quidem illam momento ullo perferre ac pati. Ad exemplum sc. Gallicanæ reipublicæ quæ hæresios illius, damnum cum vetere Germanica experta, libros illius argumenti manu carnificis è medio tollit. Neque vero est quod blandiamur nobis exemplo Hispaniae, cuius Rex securè doctrinam illam tolerat. Multum enim utramq; inter rem publicam interest. Fortè vero & Hispania aliquando securitatis suæ luct pænas. Sextus sane V animosus Papa nihil ipsius Philippi II potentiam veritus parum absuit quin & in illum sacrum fulmen vibraret. Et verò quid expectare nos jubeat curia Romana velex eo liquet, quod non adeo pridè ipsum Hildebrandum divisorū ordinibus inseruerit. Certè ut excommunicandi vim Papæ relinquamus; neutiquam tolerandum est quod idem solvere subditos possit fidelitatis sacramento, aut alijs munericibus civilibus quidquam impedimenti parere. Multò minus toleranda est propugnacilia doctrina de singulari domino Papæ in Cæfares tanquam vasallos suos. Sanè ut ex sua judicavit Hispanus Baronij adversus Siculam Monarchiam disputationem omnibus suis terris arcere; ita consultum fuerit ex ipso etiam Pontificij juris corpore canones & constitutiones Papales Germania ignominiosas auctoritate publica tollere.

CIII. Similiter non permittenda amplius Papæ est jurisdictione in Episcopos aut clerum reliquum, multo minus in alios & bona publica Imperij. Etiam hoc enim pugnat cum ~~aut~~ reipublicæ Germanicæ, ut taceamus quā sit noxiū causas ex Germania Romam trahere. Et verò satis commodè omnia poterunt revocari ad instituta veterum canonum de quibus jam tum supra aliquid inuiimus. Cumque Episcopi nostri & Abbatum multi si-
null

mul Principes agant, profectò cognitio de eorum vita, moribus, & in universum de civilibus ac criminalibus eorum causis ad rem publicam omnino pertinet. Alioquin enim res publica non habeat jurisdictionem in suos cives. Quo nihil est absurdius. Ipse Bellarminus *l. contra Guilielmo Barclarium p. 585.* concedit ius fuisse Carolo V proscribendi Hermannum Archiepiscopum Colonensem, quod esset Princeps Germaniae. Ne merè Ecclesiastice quidem cause extra omne re publicæ judicium debent esse: ut sane exemplo præverunt hac in re suo non tantum Cæsares Romani prisci, qui à Constantino Magno floruerunt, sed ipse etiam Carolus Magnus & Ludovicus, cœu ex historijs notissimum est. Certè quod Gallia in clerum licet, id utique licet etiam re publicæ Germanicæ. Numerat autem illa delicia quædā gravia privilegia ad dicta, (cum tamen rectius deberent dici *communia* ut etiā censet Milletotus) quorum cognitio & judicium magistratus est secularis. In universum nihil est re publicæ magis adversum, quam si non tantum vivant in civitate, sed etiam bonis publicis immaximis gaudent qui re publicæ legibus & judiciis non tenentur.

CIV. Porrò si quidem res publica Germanica non debet esse *marcasolmæ*, sed in partem majestatis veniunt Ordines regni, manifestum est causas Ordinum, quæ quidem vitam & dignitatem vel bona potissima attinent, decendas esse non in alio judicio quam quod ipsi quoque Ordines instituerunt. Itaq; aut antiquus & ab omnibus retro seculis usitatus mos Principum causas Regis & Parium judicio committendi fuerit observandus, aut vero tribunal aliquod in hunc usum, communis re publicæ auctoritate fuerit instituendum. Communi, inquam. Neque enim temere

remere permittendum; tantæ ut causa vel citra Regis vel
citra Ordinum mentem & sententiam judicentur: utpote
quum ad reipublicæ summam pertineant; summa autem
Isthæc penes illos conjunctim sit, nisi fallimur. Fortasse
verò apprimè etiam in rem fuerit, si omnes illæ controver-
sæ quam citissimè finiantur, atque adeo in eorum judiciis
processus obtineat quām simplicissimus & qualis ante hos
ducentos annos semper in usu fuit. Animorum enim di-
stractionem pariunt lites: nihil autem in omni repub. per-
niciosus, quām si Principes & optimates inter se studiis
collidantur; quæ vox est omnium sapientum & magno
(proh dolor!) Germaniæ malo comprobata. Et vero so-
lito majus periculum est à controversiis Ordinum si respu-
blica sit liberior. Aureum sane assertum est Taciti: *peri-
culosores sunt inimicitia juxta libertatem.* Ad hæc cum ex-
ecutio sententiæ istiusmodi prudenti consilio Circulis
singulis sit commissa, fortassis haud abs re fuerit, si pecu-
nia & apparatus bellicus singulis Circulis fuerit ad manus
cum ad alium reipublicæ usum, tum ad cogendos illos qui
viribus suis freti latis justè sententijs obtemperare
detrectant. An non loca munitiora refractariorum aut
alia eorundem bona per vim occupata publico usui totius
Circuli servare præster, quām diruere aut alij alicui con-
cedere, iudicent prudentiores.

C V. Haud obscurum porrò est, longè fore utili-
simum Ecclesiæ, si Episcopi & Abbates solis sacris va-
cantes secularem jurisdictionem Cæsari & iudicibus se-
cularibus permittant. Quemadmodum in Gallia anno
1320 Philippo Pulchro regi eam concessit clerus Gallica-
nus. Sed hoc optari fortassis licet quidem, non sperari ta-
men: ut est hodie mundanæ potentiae Clerus, exemplo
sui Papæ Romani, vehementer addictus.

CVI.Illud

CVI. Illud verò omnino par est & justum, ut iudicia omnia ita sint instituta, ne cuiquam partium sint gravia. Eoq; cum (eheu) religionis dissidium in odium mutuum plurimos traxerit, quo magis æqualiter omnibus jus dicatur, omnino ijs locis ubi utriusq; religionis socijs litigandum venit, assessores judicijs dandi sunt utriusq; itidem religionis. Multò maximè ergo id oportet ut obtineat in summis Germaniæ tribunalibus. Certè id nisi fiat, tametsi judices optimè etiam functi fuerint officio suo, nunquam tamen deerit malè suspicandi causa, quæ est perpetuum discordiæ fomentum.

CVII. Omnino deniq; danda est etiam atq; etiam opera, ut litium hæc multitudo & diurnitas, quæ haud multò minus perdit Germaniam atque vis militaris, emendetur. Quod ipsum fortassis poterit fieri, si in temere litigantes omnes, & seorsim in litium iniquos patronos, gravissimi pœnis animadvertiscantur: si judicibus nihil ex partium sportulis aut muneribus sit exspectandum, sed cogantur illi suis ex publico stipendijs esse contenti: si processus judicarius ad priscam simplicitatem, quæ tot seculis floruit Germania, quæq; in omnium veterum rerum publicarum optimarum foris, in suis Hebraeorum ab ipso Deo fuit probata, si non omni ex parte, saltim potiore reducatur: si postremq; quæcunq; in controversiam trahi solent singulis in locis legibus plebi etiam perspicuis quoad fieri potest definiantur. Certè quamdiu omnia hæc in Germania sunt observata litibus nusquam laboratum fuit. Num in remedium liceat laudare privilegia quæ vocant de non appellando, meritò forte dubitaveris: namq; eo ipso & plebis libertati & summæ reipublicæ auctoritati perinde fortassis detrahitur. Attra men nisi quæ

quæ modo diximus obseruentur, juvare illa privilegia
ad litium finem fatendum est. Quod si profecto haud
placuerit remedij quæ laudavimus uti, omnino vel ap-
pellationes ad foræ regni summa præcideré magis ma-
gisq; ex re fuerit, vel verò in singulis Circulis summa tribu-
nalia publica Reipublicæ auctoritate sunt constituenda.
Neq; vero hisce moribus duo quæ nunc sunt tribunalia
publica litibus finiendis sufficiunt, sed numerus illo-
rum augendus est Gallici regni exemplo.

F I N I S

Errata sic corrigenda.

Thes. 6. lin. 3. pro more leg. belli. th. 26. lin. f. pro glossorium
leg. glossarium. th. 29. lin. 17. pro f. leg. s. th. 32. pro metropol.
leg. metropol. th. 44. lin. 5. pro apprisis leg. à prisis. th. 47. lin. 23.
pro cap. ex venerabilem. leg. cap. venerabilem. th. 50. l. 16. l. Parium
pro Princip. th. 55. lin. 26. pro quod leg. ut. th. 57. lin. 17. in alis
add. ita th. 58. lin. 27. pro at-leg. atque. th. 59. lin. 21. pro legem
leg. legum. th. 65. lin. 14. pro Septima leg. octava. th. 67. lin. 16.
sit debeat. th. 72. lin. 22. pro utq; leg. usque. th. 73. lin. 27. pro
Episcopalium leg. Episcopalia. thes. 76. lin. 26. pro utrumq; leg.
utcumque. th. 83. lin. fin. pro vastatum leg. vastatam.

G. 3320. 8°

(X.260.9951)

VD 17

216

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13



EXERCITATIO
DE
IVDICIIS REIPV-
BLICÆ GERMA-
NICÆ,

QVAM
D. O. M. A.
PRÆSIDE

Viro Clarissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo

HERMANNO CONRINGIO

Phil. & Med. Doctore, hujusque Profes-
sore publ. Præceptore suo plurimum ob-
servando.

Ex eiusdem præcipue discursibus desumptam
PVBLICE

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

Ad diem X. Aprilis.

Defendet

CHRISTOPHORVS VLRICVS

à Burgstorff.

1600 (so)

HELMESTADT,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

ANNO CLO LCXLVII.

